



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Tertius Annus Chr. 1618. Soc.
79.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU

PARTIS SEXTÆ

LIBER TERTIUS

ANNUS CHR. 1618, SOC. 79.



ROGREDIMUR jam ad annum sæculi duodevigesimum, & à provinciis transmarinis convertimur iterum ad Italicas. Romæ lætum univèrse Societati fecit hunc annum Pontifex Paulus V., amplificato cultu Aloysii Gonzagæ, quem ante annos undecim ornatum appellatione Beati venerationi publicæ proposuerat. Causam Beati Juvenis provehebat summo nisu Dux Mantuanorum Ferdinandus Gonzaga, urgebant christiani Reges Principesque complures, ipse Pontifex cordi habebat; & ejusmodi facta jam fuerant de ejus sanctitate judicia, ut quamprimum videretur Sanctorum factis adscribendus. Id certè fieri posse, post accuratam negotii cognitionem, pronunciaverat sacra Rituum Congregatio. Idem postea tres Auditores Romanæ Rotæ censuerant, decreto in hanc sententiam facto: *Dignum esse B. Aloysium, qui auctoritate Apostolica in album Sanctorum referatur*. Sed intenta tunc potissimum Societate augendo honori Parentis sui Ignatii, cui filiorum neminem anteponendum censebat; omiſsa tantisper fuit causâ Aloysii, idque unum modo datum precibus Mantuani Tetrarchæ, ut in omnibus Gonzagæ familiæ dititionibus, itemque Romæ apud nos, ejus natalitia celebrari posthac solemnè ritu, & liturgia possent. Delectavit ea res plurimum collegii Romani Patres, apud quos Aloysii recens adhuc erat memoria, & præsens corpus. Quare, ut suo quondam alumno, & victori primitias novi cultus cum singulari aliqua amoris significatione deferrent, nequaquam eo contenti sunt, ut diem ejus anniversariam quam apparatusse celebrarent, sed illum præterea consensu unanimi patronum Grægorianæ Academiæ appellaverunt, sanxeruntque, ut recurrente quotannis ejus die festo, eodem deinceps die nostri juvenes solemnem votorum instaurationem peragerent; quæ consuetudo nunc etiam viget. Cæterum quæ tunc intermissa tantum fuit causâ Aloysii, aliis atque aliis interjectis moris, dilata est ultra annos centum: donec tandem anno labentis sæculi xxvi. Benedictus XIII., communibus Ecclesiæ votis annuendum ratus, permotusque crebris & illustribus miraculis, quibus Beati Juvenis ubique sanctitas & gloria

To. I.

S 2

inclu-

1.
RES ROMANÆ.
B. Aloysius
Gonzaga novo
cultu augetur.

2.
Ejus festo solemnis votorum instauratione assignatur.

3.
Ejusdem canonizatio differtur usque ad tempora Benedicti XIII.

inclarescebat, eundem solemnem cærimoniam Sanctis adscripsit, & patronum studiose juvenuti dedit.

4.
RES PROVINCIAE
VENETAE.
Mantuae Beatus
Aloysius insigni
celebritate colitur.

Mantuae interim Dux Ferdinandus, accepto Pontificis diplomate, quo Missam de B. Aloysio celebrari, consuetasque Sacerdotum preces in ejusdem honorem recitari permittebat, vix credibile quanta perfusus voluptate fuerit. Missis prope tabellariis Guastallam, Novellariam, Castellionem, & Bozolum, læto nuntio impertivit illos familiae Gonzagæ Principes, Aloysii agnatos. Ipse autem Mantuae adiecit animum, ut ejus dies anniversaria proximè reditura, quam maxima posset sanctitate cæremoniæ, & apparatus magnificentia celebraretur. Ad ornandam collegii nostri ædem multum pretiosæ vellis misit, multum celati auri, & argenti: quo genere suppellectilis, ante illam quæ post duodecim annos contigit deprædationem, tota Europa celebrabatur Regiæ Mantuanæ opulentia. Pridie ejus diei (in quam indictæ fuerant ab Episcopo feriæ), & jejunavit ipse, & idem fieri ab omnibus suæ familiae iussit. Atque ubi certa affuit post meridiem hora, sacram deduxit cum omni aulico comitatu pompam, qua Canonici S. Barbara, longo incedentes ordine, ab æde sua partem de lipsanis Aloysii, argentea inclusam theca, in ædem Societatis intulerunt. Ea porro supplicatione nihil splendidius. Quacunquæ sacrum agmen incescit, affusa erat ad spectaculum civitas, viarum latera pendentibus velis intecta conspiciantur. Venienti occurrerunt nostri pro foribus, amictu fulgentes lineo; cumque honore quo decuit subeuntes Canonicos exceperunt, sacrum ferculum super aram regio ornato splendens est collocatum, atque ita factum initium religiosissimæ celebritati, quæ ad plures deinde dies extracta est. Neque id satis Duci Ferdinando visum. Concilio indicto, quod Curiarum vocant, egit apud omnes civium ordines, ut decreto publico civitatis Aloysius inter patronos Mantuanorum cooptaretur; quod consentientibus omnium animis decretum cum fuisset, decretum postea solemnem ritu promulgatum jussu Principis, civitatis lætitiæ mirificè cumulavit.

5.
Eligitur urbis
Mantuanæ patronus.

At dum hæc Mantua gerebantur, tristi admodum, & inopino oppressi casu fuerunt Patres Mutinenses. Rector ejus collegii Philippus Mambrianus, & P. Hieronymus Bondinarus, duo clari nominis viri, & collegii lumina fere præcipua, capiuntur repente à Quæstoribus fidei, in carcerem contruduntur, & inde mox Romam ad dicendam causam apud supremum fidei tribunal exportantur. Nihil poterat nobis accidere, neque inopinatum magis, neque probrosius. Pervasit momento rei fama ad circumpositas civitates. In omni Gallia cispadana Mambrianus, & Bondinarus in ore hominum versabantur. Erant porro hominum de illis judicia valde diversa. Multi, præsertim Mutinæ, malo res eorum loco esse affirmabant, idque in vulgus de industria spargebant. Longe aliter sentiebat, loquebaturque nobilitatis pars maxima. Viribus talibus nihil metuendum ab æquissimo tribunali pronunciabat. Dux vero Mutinensium Cæsar, ejusque hæres Alphonfus, qui longa consuetudine perspectos haberent Patres, magis dolebant fuisse in iudicium vocatos, quam damnandos timerent. Mitto dicere, quæ Romam transmissa fuerint documenta adversus feminas, quarum testimonio causa fuerat instituta; plura enim essent in memoriam revocanda, quæ præstat oblivione deleri. Quod ad rem pertinet, Mambrianus dum attingitur in vinculis, seu moerore ignominia, seu quavis alia causa, morbum contraxit gravem, & periculosum, cujus curandi gratia redditus Societati, exceptusque in domicilio, quod Patres Pœnitentiarii habitant prope basilicam S. Petri, ibi, causa nondum peracta, decessit. Bondinarus anno proximo, non solum crimine, sed omni etiam suspicione criminis est absolutus, attestantibus fidei Quæstoribus, nihil in eo fuisse compertum, quod vel nuda verborum animadversione castigandum videretur. Quare, cum illum Atestini Principes vehementer reposcerent, permisit Mutius, ut Mutinam ad priora sua ministeria rediret, nec rationem habendam censuit litterarum, (quas sine nomine auctoris acceperat) atrociam quæque comminantium, si ille Mutinam revertere-

6.
Mutinæ duo
Patres à Quæstoribus fidei capiuntur, & Romam transmittuntur.

7.
Eorum alter
post breve tempus moritur.

8.
Alter absolvitur, & Mutinam ad priora ministeria remittitur.

eur. Ajunt, Mutinensium quosdam adeo impatienter reditum Bondinari tulisse, ut ei insidias struxerint in itinere, grassaturi ferro, in quem calumniis nihil valuerant. His tamen feliciter ereptus est; ac Bononiam cum attigisset, iter reliquum curru ab aula misso confecit usque Mutinam, ubi summa gratulatione Ducis, & Alphonfi Principis fuit exceptus. Hoc præterito tempore sodalium nobilium in Mutinensi collegio instituerat P. Philippus Nappius, Mambriano Reçtori subrogatus. Sodalium regendum accepit Bondinarius, ejusque præsertim gratia nomen inter sodales dederunt quatuor Ducis filii, primoresque aulae, & civitatis. Dux ipse Cæsar, & ejus frater Rinaldus Cardinalis, licet in censum sodalium transcribi noluerint, profitebantur tamen, minime se dubituros usitatis cœtibus interesse, quoties aliquid vacui temporis invenissent. Sic omnis illa macula, quæ duorum Patrum innocentiam, & famam Societatis plurimum obscuraverat, ut licuit absterfa est.

Per idem tempus firmatur collegium Mirandulanum, quod aliquandiu nullo suffultum censu nutaverat. Auctor collegii fuerat loci dominus Alexander Picus, additissimus Societati Princeps, qui primus in suam gentem vetustissimo jure Mirandulæ dominantem Ducis titulos intulit: cum vero promissam dotem collegio representare, ob nescio quas temporum difficultates, cunctaretur, nec Socii possent ibi sine certo proventu manere diutius, deserenda omnino erat sedes Mirandulana. Id nostri ut cum bona Principis ita de se meriti gratia facerent, eidem supplicaverunt, ut siquidem præstare promissa non posset, æqui bonique consuleret se abire, futuros nihilominus beneficii memores, nec commissuros, ut ingratos ulla dies coargueret. At Alexander nequaquam passurum se, dixit, sui domini locum tali præsidio, quod in hominibus Societatis paratum videret, destitui: detracturum citius sibi, quod collegio daret. Quæ humanissima verba factis exæquans non absimilibus, fundos eodem anno tradidit Societati, ex quibus tantum annui census rediret, quantum satis alendæ justæ Patrum familiæ esset. Ita factus collegii Mirandulani re ipsa fundator, debita collegiorum fundatoribus a Mutio retulit.

Quo tempore hæc agebantur in provincia Veneta, Neapolitana duos desideravit insignes sanctimonia viros, Antonium Lisium, & Julium Mancinellum. Lisius patria Fundanus, cum esset annorum viginti, maritimo itinere Romam veniebat Neapoli, ut in Societatem reciperetur, nemine parentum consilii sui præmonito. Rescivit qui Fundis erat ejus pater; cumque de ipsa navi qua vehebatur fuisset edoctus, celocem expedit celeriter cum armatorum lecta manu, qui profugum interciperent, retraherentque ad paternam domum, vi etiam adhibita, si resisteret. Ferebatur secundo vento actuaria juvenem vehens, & forte oram legebat Fundis proximam, cum in conspectu fuit inimicus lembus. Lisius, quod erat suspicatus, coniecit se propere in sentinam, latuitque subter onera. Perquisitores in navim recepti, postea quam angulos ejus omnes diligentissime perferutati fuerunt, nusquam reperto quem quærebant juvene, & re desperata, ab incepto destiterunt. Sic elapsus, Deo protegente, ex parentum insidiis, Romam attigit præclarus juvenis, tironibusque adscriptus est. Magnam de se spem ab ipso aditu Societatis fecit, eamque deinde per annos duos supra quinquaginta, non æquavit modo, sed multis etiam partibus vicit. Principio altiores disciplinas in collegio Neapolitano tradidit. Præfecturis postea adhibitus, majora provinciæ collegia, & provinciam ipsam sapientissimè administravit. Florebat domi forisque Lisius eximia quadam opinione virtutis, quam illi tenor vitæ innocens, sanctus, & ad omnes disciplinæ leges exactus conciliabat. A prima ætate dederat se in clientelam beatissimæ Dei Matri, eique referebat acceptum, quod vocatus ad Societatem, quod receptus, quod inter sexcenta corporis animæque pericula servatus fuisset. Obiit in domo Professorum pridie festum Deiparæ ab Angelo salutatæ, cum supremi morbi longos, & permolestos dolores incredibili pietate, & tolerantia pertulisset.

Lisium quinto post mense secutus est ex eadem domo P. Julius Mancinellus,

pa-

9.
Regendum suscipit nobilitatis sodalium. recens ibi conditum.

10.
Fundatur collegium Mirandulanum.

11.
RES PROVINCIAE NEAPOLITANAE. Obitus & elogium P. Antonii L. s. i.

12.
Mors & elo-
gium P. Julii
Mancinelli, e-
jusque vitæ sy-
nopſis.

patria Maceratensis: vir non in Italia solum, sed in Europa univërſa, atque adeo in Asia, in Africa, inter Turcas, & Mauros illustris. Hujus historiã, viri justo volumine complexus est Jacobus Cellesius: eandem Georgius Mayr latinã fecit. Ego summam colligens rerum, quas Mancinellus pro animarum salute suscepit, gessit, ac pertulit, affirmare ausim, ex tot operariis Societatis fuisse neminem, cui tam convenienter aptare liceat quæ de se scribit Apostolus Paulus, ubi labores suos, & pericula recenset. Sane tempestatibus & ipse jactatus est sæpe, sæpe naufragium fecit: multa ab infernis spiritibus, multa ab hominibus improbis passus est; nec fere est molestiæ aut periculi genus, quod non in pluribus, difficillimisque itineribus animarum studio susceptis subierit, gracili cæteroquin corpore, & valetudine parum firma. Exacto Romæ tirocinio, & studiorum orbe confecto, divini verbi ministerio totum se adjecit, quod tanta tractabat eloquentiã vi, ut magnos semper motus animorum in populo concitaret, nec fere discederet à concione, quin eum turba lacrymantium, & audiri pro confessione postulantium circumſisteret. Auditus est diu in urbe Roma. Sed illam orbis terrarum arcem vir modestissimus theatrum nimis splendidum & amplum putans, percurrere deinde instituit minora oppida, & ignobiles pagos, ut fecem hominum erudiret; non alia adire solitus diverforia, nisi publica pauperum nosocomia, atque ubi hæc deessent, satis lautum hospitium putans oblatum casu stabulum, aut mapale. Quocunque accederet, latrones ad eum, fures, homicide, demum scelestissimi quique veniebant interiori instinctu pulsi, ut onera conscientiæ deponerent. Si ultro adesse non possent, aut nollent, eos conquirebat ipse in triviis, in carceribus, in triremibus, in intimis silvarum latibulis, ut omnes Christo lucrifaceret. Ab his rudimentis ad majora progressus, totam pænè Europam cum sacra missione peragravit. Pervasit deinde in Africam Asiãque, comparatis antea diversarum gentium linguis, quarum aliquas etiam studio non hausisset, cum audienda erant confessiones, divinitus percalebat. Cum jam Italiam, Germaniam, Hispaniam, Pannoniam, Illiricum, atque Poloniam percurrisset, accepit à Gregorio XIII. potestatem amplissimam conciliandi cum Ecclesia Romana hæreticos schismaticosque quoscunque posset. Ejusdem missu Pontificis adiit Constantinopolim, ad recreandos excolendosque in ipsa Turcarum regia Christianos miseram servitutem servientes. Ibi, præter navatam mancipiis operam, quorum custodias quasi in cœnobio totidem vertit, institutamque pro aliis Christianis perpetuam missionem, Patriarchas Constantinopolitanum & Antiochenum, aliosque tredecim Græcorum Metropolitans auctoritate adegit, ut subscriberent chirographo, quo obedientiam Romano Pontifici profitebantur, spondebantque se ituros hac una causa Romam, ut supremum Ecclesiæ caput agnoscerent, & pedum osculo venerarentur. Bizantio digressus Algerium petiit, & quamquam primo exceptus à Rege duriter, tamen virtute paulatim modestiæque demeruit illum sibi, donec aperte benevoluntiam expertus est. Multa ex usu rei christianæ confecit Algerii, multos fidelium à captivitate & vinculis in libertatem vindicavit. Progressus deinde in Asiã, quam minorem vocant, Christianos pænè omnibus æternæ vitæ præsidii destitutos sacrorum usu refecit. Hinc demum per Valachiam, Moldaviam, Poloniam, Germaniamque rediit in Italiam, confeditque Neapoli; ubi cum posset post tam longas peregrinationes honesto frui otio, maluit reliquum vitæ tempus salutem proximorum impendere, aut habendis concionibus, aut confessionibus excipiendis, quæ duo nec in senectute extrema unquam intermisit. Vita tam actuosa conjunxit Mancinellus quietem animi vix credibilem; stabilitatem vero mentis in orando tantam, ut fere nunquam à contemplatione cœlestium evagaretur. Pudicitiam coluit prope ad miraculum: neque solum primum innocentie candorem sepulchro intaminatum intulit, verum etiam ex tot, tanque variis legibus, quibus disciplina Societatis continetur, nullam in omni vita sciens & volens violasse creditur. Sæpe vel casu fortuito, vel de industria indignissimè habitus, ejectus interdum à Parochis quasi fur, aut unus aliquis è sycophan-

13.
Indicantur ali-
qua de ejus vir-
tutibus & mira-
culis.

tis, sapissime conviciis appetitus; injurias excipiebat ut beneficia, & hominibus male de se meritis gratias agebat. In afflicto corpore modum omnem excessit. Cilicio utebatur hispido, non tamen præcincto ad latera, ut alii solent, sed totum cooperiente corpus instar interulæ. Catenam è ferro gravem, ac rubiginè scabram, collo illigatam perpetuo gestabat. Quotidie se flagris atrociter concidebat: ex qua consuetudine cum obstupuissent paulatim carnes, & sensum doloris amisissent, crura deinde faciemque tundebat, pedes, brachia, femora admotis facibus ustulabat. Verum hæc, & plura de Mancinelli virtutibus fuse descripta videre erit in ejus historia, de qua dictum est supra; ubi etiam multa supra naturam ordinem ab eo gesta memorantur, quæ nos leviter indicamus. Crebris cœlestium visis dignatus fuisse, aliquando oblatum à Matre beatissima divinum Infantem sinu excepisse dicitur. Multa & loco, & tempore remotissima, quasi præsentia, & oculis subjecta inspexit, prænuñciavitque. Sæpe cum sacrum faceret, aut divina medicaretur, conspectus est in aere suspensus, & cœlesti luce perfusus. Ejus precibus multi valetudinem, multi prolem, aut prosperos negotiorum successus debuerunt. Quæ cum essent pervulgata, vivo, mortuoque ii honores sunt habiti, qui vulgo sanctis haberi solent. Obijt postridie Idus Augusti, in ipso pervigilio Virginis in cœlum assumpta, cum numeraret vitæ annos amplius octoginta. Ejus funus tota fere civitas celebravit: nec multo post, gliscente in dies fama beneficiorum, quæ Mancinellum invocantes divinitus impetrabant, conventus nobilium ex omnibus, ut Neapolitani vocant, subfelliis collectus, communi consensu decrevit, agendum nomine publico cum Romano Pontifice, ut quæstionem de ejus virtutibus & miraculis institueret, eundemque Sanctorum fastis adscriberet. Et jam Decius Cardinalis Carafa Archiepiscopus Neapolitanus testes audire cœperat: sed intervenientibus mox decretis Urbani VIII., quæ de hoc genere causarum prodierunt, negotium abruptum est.

Eodem anno Oxunensium Dux regni Neapolitani administrator, memoria repetens, se haud ita pridem ope B. Ignatii ex gravi morbo, ut alibi dicebamus, convaluisse, celebrandam curavit diem ejus anniversariam eo sumptu, qui grati non minus quam generosi animi luculentum indicium esset. Celebritati nihil neque ad religionem, neque ad magnificentiam defuit. Affuit ipse in æde Professorum cum conjuge, ac fere tota urbis nobilitate; utque eo die duo nostri Sacerdotes solemne quatuor votorum sacramentum ad aram B. Parentis erant nuncupaturi, id fieri se præsentem & inspectantem jussit. Latitiam deinde publicam cumulavit domestica: invitatos enim in domum Professorum quotquot erant de Societate Neapoli, etiam tirones, regalibus excepit epulis, & convivium præsentia sua honestavit. Verum haud multo post vir piissimus, dum augere cultum B. Virginis studet, nonnulla Societatem molestia implicuit. Nam cum jurasset ipse privatim, multorum Hispanorum exemplo, defensurum se usque ad obitum Divinæ Matris immunitatem à labe originaria; idem nunc jusjurandum, non solum edere ipse publicè, sed etiam ab omnibus regni Magistratibus, regique gymnasii Professoribus exigere statuit, concepta verborum certa formula, in quam jurare singuli compellerentur: celebritati autem peragenda basilicam Societatis delegit apud Professos, & diem assignavit vi. Idus Decembres, quo die conceptus B. Virginis erat proximè rediturus. Hinc nostrorum tranquillitas perturbata. Videbatur namque ea res nonnullis gymnasii professoribus intolerabilis, quippe ejus scholæ viris, quæ in diversam de conceptione Virginis sententiam abiit. Ipse Archiepiscopus Cardinalis, Nuncius ipse Pontificius negabant, æquum videri in re tam gravi quidquam novi injussu Romani Pontificis inceptare, cum maximè Pontifex tam prope abesset Neapoli, ejusque oraculum exquiri nullo negotio posset. Nostris autem hominibus novitas illa omnis imputabatur. Vocantur itaque paulo ante præstitutam diem Antonius Marchesius provincie Neapolitanæ præses, & Gregorius Mastrillus domus professorum præpositus, ille a Nuncio, hic ab Archiepiscopo, & admonentur acriter, ne rem ejusmodi fieri

11.
Neapoli Prorox
festum Beati P.
Ignatii appa-
ratissime celebrat.

14.
Neapoli Prorox
festum Beati P.
Ignatii appa-
ratissime celebrat.

15.
Idem in nostro
templo edi jura-
mentum jubet
pro Conceptione
Virginis im-
maculata.

16.
Suspiciones
mote contra no-
stros, tanquam
novi consilii au-
ctores.

17.
Excusant se Pa-
tres apud Ar-
chiepiscopum,
& Pontificis Le-
gatum.

18.
Et removere
Proregem ab in-
cepto conantur,
sed frustra.

19.
Quo ordine
peracta sit jura-
menti ceremo-
nia.

20.
Solemni pompa
circumfertur si-
mulacrum Vir-
ginis immacula-
te.

21.
Religiosis con-
cionator male-
dictis profeudit
Societatem.

in suo templo sinant : vulgo ferri, ejus consilii auctores Proregi fuisse Patres Societatis: gravem subituros invidiam, nisi rem multis odiosam pro suis viribus prohibuerint. Patres ad hæc, se quidem nullam in eo negotio partem habuisse, ac ne conscios quidem fuisse; paratos tamen esse quæcunque jussa fuerint, obedienter facere: unum orare, ut quæ fieri velint, scripto significare ne graventur. Hoc accepto responso, nihil ultra movit Cardinalis. At Nuncius Marchesium interpellans: Quid opus est scripto? reposuit: id à me refero consulto Pontifice, decere neminem, omnium vero minimè Ducem Oxunensium, quem sibi Pontifex tam multis nominibus demeruerit. Quæ totidem verbis Marchesius cum detulisset Proregi, addidit, ut siquidem mutare sententiam nollet, transferret saltem novam, ac periculosam ceremoniam in unam aliquam ex tam multis basilicis, quæ regii juris Neapoli sunt, & difficili negotio Societatem eximeret. Sed non is erat Oxunensium Dux, qui aut contradici sibi, aut sua a quoquam interverti consilia a quo animo pateretur. Mirari se vehementer, dixit, Patres Societatis Jesu in amplificando B. Virginis cultu difficiles se præbere: id enim vero novum accidere sibi, & cum magna omnium, sed præsertim Regis admiratione auditum iri in Hispania: frustra sibi novitatem objici in ea re, cujus anno superiore exemplum tot in Hispania Academia, & Magistratus præbuisent: quod ibi factum Pontifex non improbasset, non videre se, cur improbaturus esset Neapoli: cæterum a se neminem coactum iri jurare quod nolit; sed regis stipendiis omnino frui non debere, qui de conceptu Deiparæ aliter sentiant, ac Rex in suis ditionibus sentiri tradique velit. Sic abrupto sermone, Marchesium dimisit.

Illuxit interim dies B. Virginis conceptioni sacra. Ea die cum obfirmasset Prorex propositum exequi, quod dixi juramentum insigni ceremonia peragitur in æde nostra, sacris solemniter operante Antonio de Franchis Episcopo Andriensi. Primus omnium codici sacrificiali manum imponit ipse Prorex, & præfinitam jurisjurandi formulam pronunciat. Sequuntur Canonici regium administrantes facellum: tum regni consilia omnia, ac magistratus: postremo professores regii gymnasii, Theologis tantum exceptis, quos utpote oppositam sententiam, non tam voluntate quam instituto sectantes, visum non est ad iusjurandum compellere. Usitato gratiarum carmine a symphoniacis decantato, recitatur erudita oratio de laudibus magnæ Virginis, & concio dimittitur. Sic ante meridiem. Die in vesperam inclinante, repletur iterum populi innumera multitudo amplissimum templum, atque hinc sub nobili conopeo defertur per celebriora urbis loca signum Virginis immaculatæ. Præibat longum supplicantium agmen: pone sequebatur Prorex cum flore nobilitatis. Ut ventum ad Prætorium, pompa omnis constitit. Fuerat ibi in foro, quod regia despectant ædes, erectum altare: e regione stabant in suis ordinibus milites prædiarii. Hi cum in genua procubuisent, repetitur altiore voce lectio ejusdem formulæ, lectionemque excipit fistularum plausus militaris, cum fausta acclamatione Virgini sine labe conceptæ. Nihil post hominum memoriam actum ferebatur Neapoli tanta, non solum pietate, sed etiam voluptate & gaudio. Triumphare illo die visa civitas universa. Nuncius Pontificius, etsi minus probasset initio rem talem inconsulto Pontifice fieri, tamen factam laudavit majorem in modum, negans fuisse in ea, quod cuiquam merito displiceret. Quod vero atinet ad Societatem, testimonium dedit amplissimis conceptum verbis, nostros in eo negotio extra omnem criminationem fuisse. Inventi nihilominus qui rem liberius reprehenderent, & invidiam, si qua erat, ejus facti in homines Societatis omnem rejicerent. Ut de cæteris taceam, concionator professione religiosus, quoties è loco superiore dicendum erat, carpebat aperte nostros, neque solum illius novitatis, sed prave etiam, damnataque doctrinæ auctores faciebat. Placuit experiri, num mitigaretur patientia, & mansuetudine; eaque propter Præpositus domus professorum P. Mastrillus sociis in communi edixit,

ne quis maledico concionatori par pari referret. Silentio modestiaque nostrorum cum fieret arrogantior, itum est ad ejus moderatores, ut tantam maledicendi licentiam pro potestate compererent. Verum hi, tametsi damnarent vehementer dicacitatem sodalis sui; quod tamen rogabantur ut eam etiam coererent, apertè negarunt fieri a se posse; hominem scilicet potentiorum patrocinio tutum, in suorum præsidium potestate non esse. Sic ille elatus amicorum favore, obloqui nobis libere impudenterque pergebat. At dum loquacitati nimis indulget, nonnulla etiam de re publica dicere ausus est, quibus Proregis administrationem carpere haud obscurè videbatur. Quæ fuerant palam dicta facile rescivit Prorex, miratusque insignem hominis temeritatem, & ira incensus, Legato Pontificis denunciavit, nisi impotentem blateronem pro eo ut meritus fuerat ipse plecteretur, nequaquam se dubitaturum in eum pro jure imperii animadvertere. Qua motus denunciatione Nuncius, primo concionatorem sacri ministerii sui parum intelligentem increpuit graviter, & ad certum tempus abstinere publico iussit: deinde vero ne uspiam in toto regno Neapolitano conciones haberet, gravioribus poenis propositis interdixit. Cæterum tot ejus maledictis, & contumeliis, nihil apud plerisque est imminuta Societatis existimatio, nec propterea judicium de rebus nostris prudentes mutarunt. Minime omnium mutavit matrona inter Neapolitanas ornatissima Joanna de Capua, Principis Aricini soror. Quin certior facta, collegium Capuanum olim civitatis beneficentia cœptum, nec vestigal justum, nec certum fundatorem habere, ante exitum ejusdem anni censum legavit stabilem, quo fundati collegii titulum, & prærogativas est consecuta. Sed ex provincia Neapolitana gradum faciamus in Siculam.

Domui professorum Messanensi adduntur hoc anno sodalitia duo, alterum ex artificum pueris conflatum, quod Deiparæ Præsentatæ consecrari placuit, alterum ex scribis atque caudicis, quod sub tutela Virginis in cœlum assumptæ collocatum est. Utrumque à suis initiis florere pietate, & sodalium frequentia cœpit. Panormi nobilium sodalitas, in quam principes civitatis, & regni proceres fere omnes conscripti erant, tale præbuit charitatis exemplum, quod omnium animos admiratione defixit. Convenerat inter sodales, ut certa die epulum darent vinctis, qui plurimi in custodiis publicis servabantur. Eadie visi tot illi viri titulis opibusque conspicui, nullo cujusquam rei respectu, deferre per urbem mediam fercula, eademque postea suis manibus discumbenti vinctorum turbæ perquam humaniter ministrare. Prodierunt longo ordine è professorum domo, ad modestiam pietatemque compositi, suam singuli manu gestantes cistulam obsonii plenam. Claudebat agmen P. Franciscus Rajatus sodalitiæ moderator, canistrum similiter manu ferens: quodque spectaculi admirationem auxit, unus sodalium Montalti Dux, cum pedibus laboraret, interfuit nihilominus piæ aciei aperta subvectus sella, suamque & ipse cistellam cum omni mensarum instrumenta detulit. Hos charitatis, & christianæ demissionis triumphos nos eo commemoramus libentius, quod infrequentiores hac ætate videmus esse, nec ignoramus, multis, qui sibi sapientes videntur, deridiculo haberi.

Neque omissum hoc loco volumus pudicitia exemplum memorabile, quod eodem ferme tempore editum Panormi, & in omnium sermone versatum est. Puella erat humili admodum genere, ac tenui fortuna; sed ea oris elegantia, cui nihil simile reperiri in urbe tota putabatur: quodque rarum vulgo creditur, formæ tam excellenti consentiebat vitæ castitas, quam pia virguncula ut custodiret diligentius, assidua erat in templo Societatis, seque totam nostro Sacerdoti, quo utebatur conscientia arbitro, regendam permiserat. Puellæ infidiabatur juvenis nobilis & opulentus, eamque in flagitium trahere perdit tentaverat frustra. Ubi demum videt, aperta vi expugnari non posse, cuniculos parat, novas fruit insidias, donec aniculæ scelestæ ministerio incautam in casses pertraxit. Inducta fuerat, nescio quo obtentu, in remotum secretumque con-

To. I.

T

clave

22.
Idem à Pontificio Nuncio in ordinem redigitur.

23.
Collegium Capuanum censu annuo dotatur.

24.
RES PROVINCIÆ SICULÆ.
Duo instituantur sodalitia Messanæ.

25.
Sodalitas nobilium Panormi insigne editi exemplum charitatis.

26.
Pudicitia exemplum insigne Panormi editum.

clave cujusdam domus, Hic illam juvenis solam, & nihil adversi suspicantem adoritur: blanditias, preces, aurum, & quæcunque habet arma exæstuan- libido expromit, Nihil castissimam virginem permoveri sentiens, postremo vim parat, vocatque subsidio juvenem sceleris conscium, quem hæere ad januam cubiculi jusserat. Eo loci misera fugam circumspicere. Cum nec elabi ulla via, nec eluctari juvenum robustissimorum manus posset, consilium capit sane au- dax, & quod merito reprehenderem, nisi præcipuo instinctu Numinis fuisse in- jectum exitus docuisset. Fingit se victam, aut certe deditioni proximam; non nihil tamen spatii ad respirandum flagitat; quo impetrato, exiliens repente, & Jesum ac Mariam invocans, agit se præcipitem per fenestram. Huic subiectus cum esset ex parte domus interiori magnæ altitudinis puteus, in eum decidit. Percussa intus aqua cum magno strepitu concrepuerunt. Juvenes attoniti, ac metu consternati, mortuam sepultamque crediderunt, ac propere diffugerunt. At vetula, quæ lænocinii pretium opperiebatur in cavadio, admonita quid acciderit, clamores ingentes tollit. Accurritur ex tota vicinia ad puteum, vocatur puella, funes, unciq; demittuntur. Educta est, mirum dictu! non modo illæsa prorsus & incolumis, verum etiam imperturbata, ac læto vultu renidens. Gratulantibus vero cunctis quod salva esset, multumque perroganti- bus, unde id ita præter naturæ ordinem contigisset, narrat, invocatam ad- fuisse sibi in ipso lapsu Deiparam humanissima specie: ejus manu elatam se fuisse ex imo, & in summa aquarum superficie sustentatam fuisse, ne merge- retur. Vera loqui virginem persuadebat, cum natura ipsa eventus, tum etiam narrantis pietas explorata. Hinc virgini tam probatæ virtutis optimæ matrimonii conditiones offerebantur: sed illa omnes ex aquo respuens, servatum miraculo pudorem Deo inter sacras virgines perpetuo devoverè maluit.

27.
Præfens Deipa-
ræ auxilium in
extremo vitæ
periculo.

28.
Mors, & elo-
gium Bartholo-
mæi Valditari
tironis.

29.
RES GERMANIÆ
SUPERIORIS.
Obitus & elo-
gium P. Jacobi
Rhem.

Nobis interim adolescentem pietate spectabilem, & in Messanensi tirocinio ad summa quæque connitentem mors festinata præripuit. Fuit is Bar- tholomæus Valditarius, oriundus ab urbe Genua, sed Messanæ natus honestissimo genere. Humaniores litteras, altioresque disciplinas didicerat in collegio nostro Mamertino, pari ingenii, & innocentia laude. Societatem cum peteret, ob valetudinem parum firmam repellebatur à Provinciali Præposito: sed institit orare tandiu, atque obsecrare, donec receptus est. Agebat tunc annum æta- tis duodevigesimum; eoque nondum expleto, morbum ex nimia mentis con- tentione contrahens, copiosum ejectavit ore sanguinem, ac demum lenta duorum mensium tabe consumptus occubuit. Toto hoc spatio temporis, dici vix potest quæ dederit documenta virtutis, quæque præsertim coelestium rerum desideria præ se tulerit. Pertasus omnium quæ vita finiuntur, cœlum cogitabat unicè, auditus aliquando suavissimè canere, propterea quod supremam abesse horam propius existimaret. Idibus Martiis, cum appropinquaret dies Annunciata Vir- gini sacer, eo die se moriturum prædixit. Illuxit opatus dies: Valditarius au- tem nonnihil a morbo recreatus, adeo non videbatur eo die moriturus, ut po- tius victurum adhuc multum temporis augurarentur medici. Quare illum invi- dens tironum Magister, valde gratulari se dixit, quod in sua prænuncianda morte falsus yates fuisset: cui ille subridens: *Atque nondum hic dies plane exiit.* Nec vero exiit prius, quam vaticinium esset impletum. Eodem quippe die in vesperam inclinante, cum videretur subito quodam & dulci somno correptus, placide admodum expiravit. Sex tantum menses apud nos vixit Valditarius; sed nemo fuit hoc tempore, neque æqualium, neque majorum, qui non illum pau- corum dierum tironem admiraretur. Ejus virtutes ipsi sibi ad exemplum pro- ponebant veterani, atque æmulari studebant. Erat jam divinis rebus mirifice exercitatus: animi vero cupiditates ita subegerat in paterna domo, ut vix esset quod emendari religiosa institutione posset.

Multo longiorem habuit vitæ cursum, proindeque illustrius multo post se nomen reliquit P. Jacobus Rhem in superiore Germania. Brigantia natus erat inter Helvetios, ad lacum Aconianum. Studiis humanioribus Dilingæ absolutis, anno

anno ætatis suæ vigesimo Romam venit ad S. Franciscum Borgiam, à quo in Societatem fuit cooptatus, Præcipua viri dos, & industria eluxit in excolendis juvenum seminariis, quæ per annos quadraginta novem administravit constantissima sollicitudine, patientia, charitate, cæterisque id genus virtutibus, quas apta juventutis educatio requirit. Quantus sit in adolescentum indole regenda labor, quanta in temperandis eorum cupiditatibus, moribusque fingendis difficultas, experti duntaxat norunt. Hujus laboris nunquam vacationem P. Rhemus postulavit, nunquam difficultatem ac tædia questus est, quippe gnarus, in eo ministerio sua moderatores opera libenter uti. Duas præ cæteris res in puerorum animis altius defigere studebat, odium inexpiabile peccati letalis, & amorem erga Virginem Deiparam, qualis esse filiorum erga matrem solet. In contubernio juvenum Ingolstadiensi, quod annos ipsos triginta duos moderatus est, sodalitatem instituit, quam Paulus V. Pontifex Maximus plurima delictorum expiatione locupletavit. Sodalibus hanc veluti tesseram & insigne esse voluit, ut ubicunque daretur locus, de divinis rebus colloquia agitent. Præibat ipse exemplo, nullum ferere sermonem, nisi de Deo, ac B. Virgine solitus. Incessit eum cupido aliquando cognoscendi, quodnam elogium ex omnibus, quis præ cæteris titulus Matri sanctissimæ arrideret? Sabbato sequenti, cum Lauretanæ Litanie pro more à symphoniacis canerentur in sodalitie, Deiparam vidit cœlesti luce radiantem, ad eas voces *Mater admirabilis*, ore sereno velut annuere: quo spectaculo commotus, & præ lætitia gestiens, prodiit in medium, & magna voce *Mater admirabilis* ter exclamavit. Inde mos fluxit, ut in eodem sodalitie, quoties Lauretanæ Litanie recitantur, ter idem versiculus decantetur. Tot inter irritamenta patientiæ, quot in magna puerorum multitudine obversari quotidie solent, Rhemus vix irasci interdum, nunquam gravius perturbari visus. Ipso habitu oris & corporis quamdam præferebat sanctimonie speciem, qua obtinebat, ut etiam ferocioribus adolescentibus venerationi esset. Oculis uti non videbatur, nisi ad pias lacrymas, quas stillabat assidue: cæterum domitos, & constrictos tenebat tam acri custodia, vix ut quemquam externorum de facie nosset. Quemadmodum oculos, ita reliquos frangebatur sensus. Ciliciis, flagellis, invicta rerum molestarum tolerantia, corpus in servitutem redigebat. Cibi potusque parcissimus, esuriam tolerabat fere perpetuam: in quo genere temperantiæ illustre documentum ab ipso aditu Societatis dedit. Cum triduum jam egisset primæ, ut loquimur, probationis, interrogatus a Rectore, equid illi saperent esca nostrates? modeste respondit, nondum gustasse: quo responso attonitus Rector, ulterius percunctando cognovit, oblivione ministri nihil toto eo triduo adolescenti datum fuisse; ipsum vero tam longam inedia silentio tolerasse. Plurima cognovit ac prædixit, quæ post evenere; nec semel morbos, & præstigias dæmonum propulsavit. Demum annos duos & septuaginta natus, obiit Ingolstadii iv. Idus Octobris, & primam, ut creditur, innocentiam, cum pervulgata & publica non usitata virtutis opinione, tumulo intulit.

Cæterum in Germania superiore vix fuit hoc anno locus, ubi homines Societatis prædas de sectis hæreticorum non egerint. Neoburgi amplius quadringenti ad Ecclesiam rediere, in quibus nobiles viri plures, ac tota Papenheimorum familia. Monhemium, parvam urbem, sed amplæ præfecturæ caput, missi fuerant Ingolstadio Patres duo. Eorum labore & industria, intra paucos menses, hæreticorum ter mille sexcenti catholicis partibus se aggregarunt. Ante Patrum adventum vix censebantur in ea urbe Catholici octoginta. Paulo duriores initio se præbuerunt Lavingenses. Principis edicto de mutando cultu cum resisterent contumacius, militari præsidio paululum comprimendi fuerunt: sed mox capti, non tam eloquentia, quam charitate modestiaque nostri concionatoris, eidem se dociles præbuerunt. Constantiensium Sociorum labor excurrit in pagos quatuordecim, & urbes duodecim. Ubique contra vitia, superstitiones, errores, varie feliciterque certarunt. Similia de aliis provinciæ collegiis

To. I.

T 2

in-

30.
Qui titulus supra cæteros ardeat B. Virginis.

31.
Memorable exemplum temperantiæ.

32.
Res feliciter geitæ in variis provinciæ partibus.

33.
Libri utiles hoc
anno editi in
hac provincia.

34.
Neoburgi tem-
plum Societati
attribuitur, &
dedicatur.

35.
In quo impletur
piæ femine ve-
tus vaticinium.

36.
RES BOHEMIÆ.
Indicantur Bo-
hemice rebel-
lionis initia.

invenio, quæ singillatim referre longum esset. Neque tantum voce pugnatum est contra hæreticos, sed etiam scripto, nec scio an non, saltem ad fructus perennitatem, utilius. Ingolstadii P. Jacobus Greferus *Syntagma* edidit de *sacro-sanctis Reliquiis S. R. Imperii*. P. Joannes Mocquetius *Methodum Gontberianam defensam*, sive rationem ex solo Dei verbo cum hæreticis disputandi, vulgavit. Studio & opera P. Georgii Mayr, impressus Augustæ est græcè & latinè *Catechismus Ven. Petri Canisii*, cujus deinde exempla, non modo per Germaniam sparsa, verum etiam Constantinopolim usque transmissa, magno usui fuerunt Patribus Gallis, qui nuper in illa urbe scholas græcis adolescentibus aperuerant. His catholice religionis progressibus delectabantur summopere, omnes boni; sed nemo fortasse magis Wolfango Wilhelmo Comite Palatino Rheni, Duce Neoburgico, cujus Principis pietatem eximiam, & parem in nostrum ordinem benevolentiam nullis satis litteris prædicare possumus. Dederat jam Societati collegium stabile, ut supra demonstratum est, Neoburgi in urbe sua primaria. Nunc sacram quoque ædem daturus, templum augustæ molis, à Ludovico parente suo Lutheranorum usui inchoatum, magno sumptu perfecit, adjunxitque collegio: nec multo post celebritate quam potuit maxima, dedicandum curavit. Peracta est dedicatio XII. Cal. Novembris ab Episcopo Augustano, præsentibus Ratisbonensi, & Eystadiensi, Ducibusque Bavariæ, & minorum Præfulum magno numero: namque eos omnes, ad augendam cæremoniæ pompam, Neoburgicus invitaverat. De ipso porro templo tradunt, fuisse olim in ejus prima molitione prædictum, fore aliquando ut ad Societatem transiret: de qua re ita reperiebam. Ludovicus Dux Neoburgensium secta Lutheranus, cum forte coeptum inspiceret ædificium, viderat matronam nobilem, & orthodoxam opus, uti sit, curiosius observantem. Quæsitit ex ea per jocum, satis ne aptam putaret ministeriis Jesuitarum basilicam? Cui mulier, quocumque demum spiritu acta: *Spero equidem, priusquam moriar, visum iri Jesuitas in hoc templo sacra facientes*. Quod tunc cum risu exceptum à Principe, ejus deinde filius in oraculum vertit. Atque hæc ibi.

In Bohemia, cum esset hoc tempore res omnis tum sacra, tum civilis armis hæreticorum foede turbata, magis referre possumus quid nostri passi fuerint, quam quid gesserint. Ut à suis initiis narrationem repetamus, annis ante Lutherum fere centum pervaserant in Bohemiam Hussitæ, *Calixtini* vulgo appellati à mystico calice, quem in sacrorum perceptione toti promiscue populo libandum putabant. Sequenti sæculo, quo nulla fuit ætas hæresum feracior, Lutherani quoque, & Calviniani, hisque nequiores Picarditæ, in illud penetraverant regnum; inique cum Hussitis, & inter se invicem erroris societate, *Utraquistæ* dici maluerant, propterea quod utramque mysteriorum speciem laicis impertiendam contenderent. Utraquistarum porro factio, & numero, & opibus brevi excessit in tantum, præsertim Pragæ, ut longe plus possent, quam Orthodoxi. Novissime eorum vires & audaciam, non voluntate, sed necessitate auxerat Rudolphus II. Cæsar, Bohemiæ Rex. Cum enim intra Pragensem regiam à fratre suo Mathia obsideretur, egeretque ad tuitionem sui viribus civitatis, quædam illis indulserat parum æqua, & religioni catholice injuriosa, quæ nunc materiam civilis incendii præbuerunt. Erat inter alia capita Rudolphini diplomatis, licitum fore Utraquistis ecclesias sibi construere ubicunque vellent. Id illi, mali utique verborum interpretes, sic accipiebant, quasi factum sibi fuisset jus fana ejusmodi ædificandi etiam in alieno solo. Et re ipsa, seu crederent id sibi juris datum, seu, quod verius puto, occasionem rebellandi quærerent, templum ædificare ausi fuerant in solo monasterii Brunovienensis, invito licet, & reclamantibus Monachis. Jussi à Mathia, qui post Rudolphum regnabat, opus intermittere, & ad designatos Judices in jus ire, neutrum fecerant: quin educto ad culmen ædificio, suos in eo conventus cum regie majestatis contemptu celebrare palam coeperant. Cæsar, ne impunitas audaciam aleret, armata manu occupari sanum jubet, auferrî claves, duces popula-

pularis contumaciâ vinctos in arce Pragensi custodiri. Id fati visum Utraquistis, ut Regi bellum nefarium indicerent, & sceleri, quod jamdiu coquebant, nomen justæ defensionis obtenderent.

Neque hæc atrocius deliberata, quam gesta sunt. Ad x. Cal. Junii principes conjurationis cum ala equitum armatorum irrumpunt in arcem, regiam opprimunt, in aulam regii consilii ascendunt. Confederant ibi primarii Magistratus, ut de re communi, & nominatim de extinguendo belli erumpentis incendio deliberarent, erantque eo in confessu facile principes Gulielmus Slavata Comes Chlumenfis, regii ærarii præses, & Jaroslaus Borzita Comes Martinitzius, Cæsari a sanctioribus consiliis, regniq; Marefcallus: duo Catholici insignes, & Bohemica nobilitatis lumina fere præcipua. Aderat à secretis Philippus Platter, cognomento notiore Fabricius appellatus. Ut eo pervasit perduellium globus, cæteros quidem, quibus parci placuerat, abducunt in vicinum conclave: at tres, quos dixi, præstantissimos viros, velut hostes patriæ, & evangelicæ libertatis everfores, comprehendunt, conviciis onerant, & Martinitzium primo, deinde Slavatam, postremo Fabricium è fenestra dejiciunt in præaltam fossam muro circumjectam. Erat Martinitzius B. Virginis eximius cultor. Hanc ille, dum rueret, pia prece inelamavit, nec irrita: quamvis enim esset prægravi & obeso corpore, quamvis altitudo fenestræ pateret in præceps ulnas Pragenses viginti octo; in fossæ tamen crepidine, ut in arena molli, confedit incolumis, tanquam si quispiam manum cadenti supposuisset. Deturbatus è fenestra Slavata, caput impegit vasto molari, ab eoque rejectus est in imam usque fossam. Vidit extremos edentem gemitus Martinitzius, atque è summo fossæ labro devolvit se paulatim in infimam ejus partem: ad amicum adrepfit, absterfit sudario sanguinem, cujus copia præfocabatur, efficaci tandem balsamo, quod in pixide paratum habebat, nares ejus ac tempora perungens, deficientem animum revocavit. Instabant interim è fenestris, atque ab opposito vallo conjurati: hortabantur se vocibus inconditis ad mactandos evangelicæ libertatis hostes, corruptoresque: plumbeam in illos grandinem undique, ferreis tubulis excutiebant. Neuter tamen (quod ipsi deinde hæretici miraculo adscriperunt), neuter, inquam, tot inter mortes ullo ictu est violatus; datumque interea spatium famulis utriusque, & amicis subeundi per occultum iter in fossam, & ambos tutas in latebras exportandi. Fabricius illis junior, & robustior, levioere defunctus est ruina. Præceps e fenestra datus, erexit exemplo sese, & ad Moldavam flumen evadens, reperta commodum navicula, diffugit inobservatus, ac Viennam postea salvus attingit.

Primus hieluctuosa tragoediæ actus fuit. Secuta est vexatio Catholicorum, eades aliquorum, aliorum ejection, & proscription, ac præsertim Societatis, in quam sævior procellæ vis incubuit. Tamen prima illa die nihil contra quemquam consultum gravius. Quin dux sceleratæ factionis, cum cives ad arma consternerentur, urbem obequitans, continuit populum, fide data, nihil motum iri contra Catholicos: non religionis causâ tres nefarios viros supplicio fuisse affectos, sed ob violata regni privilegia: omnia Catholicis ut ante manfura. Hæc in vulgus emissa, utcunq; metum demerent aliis, nostris nihil fiducia dabant. Non enim ignorabant Patres, quanto hæreticis odio essent; se vero primos ad ictum fuisse designatos dubitare non poterant, cum præsertim aliqui conjuratorum gloriarentur palam, tres Jesuitas in illis regis ministris fuisse dejectos. Non vanam fuisse nostrorum formidinem, nullamque nobiscum pacem hæreticos habere voluisse, patuit haud multo post. Degebat Societas in quinque intra Bohemiæ fines collegiis, Pragensi, Crumloviensi, Commotoviensi, Novodomensi, & Glacensi. Post decem dies omnibus in perpetuum jubetur excedere, die decima præfinita, intra quam abiret. Exilii causâ jactabantur ista: Quod pacem publicam Societas perturbaret: quod omnia regna jugo Romanæ sedis subjicere niteretur, & omnes qui morem illi non gererent, hæreticos proclamaret: quod aleret inter procères dissidia: quod semina seditionum fereret: quod

37.
Primi rebellium
impetus contra
tres eximios Ca-
tholicos.

38.
Qui ex præal-
ta fenestra de-
jecti, mira Dei
ope, servantur.

39.
Simulant con-
jurati nihil sibi ef-
se contra Catho-
licos.

40.
Sed mox So-
cietatem exce-
dere Bohemia
jubent.

41.
Ferales clausu-
læ decreti con-
tra Societatem
promulgati.

quod populos in cædem regum armaret. Denique crimina omnia Societati pæs-
sim ab hæreticis objici solita, in ferali decreto congesta erant. Decreti titulus
præferebat nomen *Trium unitorum statuum regni Bohemiæ, corpus & sanguinem
Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi sub utraque sumentium, & confessionem
Bohemicam profitentium*. Clausula hæc toti decreto subiciebatur: *Ut Societas
post hanc proscriptionem, nec ad Romani Pontificis, nec ad cujusvis alterius in-
tercessionem, nec ullo alio quem vel ars, vel fraus humana excogitare possit modo,
unquam in futura, æternæque tempora, rursus in regnum introducatur*. Quæ
quali nondum satis ad exilii nostri perennitatem essent, illud addebatur præte-
rea: *ut si technis, ullisque machinationibus Jesuitæ futuris temporibus effecissent,
ut vel in consilio ordinarum, vel extra illud, ageretur de ipsis iterum recipiendis,
quisquis sententiam pro illis dixisset, reus fieret pænæ in perturbatores reipublicæ
constitutæ*. Sic illi cum insigni Regis injuria, cujus potestatem ex toto sibi ar-
rogantes, audebant immutare quæ a pluribus Bohemiæ regibus fuerant circa
nos constituta, & in generalibus regni comitiis approbata, refragante nemine.
Mitto dicere, quam temere sibi jus & imperium in futura tempora, atque adeo
in ipsam æternitatem vindicarent: quam quidem æternitatem oppido brevem
fuisse, videbimus intra annos duos. Neque vero singula edicti capita vacat re-
fellere, id quod à P. Adamo Tannero, aliisque scriptoribus illo ipso tempore
factum est: historiam quippe, non apologiam scribimus.

42.
Confictas fuis-
se exilii causas,
colligitur ex ip-
so decreto.

Ut tamen luce clarius ostendam, alias fuisse exilii causas, quam quæ in de-
creto afferebantur, illud duntaxat quæro: num credibile sit, viros tales, in ipso
actu seditionis, solo exilio fuisse animadversuros in nos, si vera esse credidissent
quæcumque nobis appingebant flagitia? Qui in clarissimos suæ gentis Principes tam
atrociter sævierunt, eosne putandum est voluisse nobiscum humaniter, & cle-
menter agere? Quas cruces, quæ non supplicia nostris hominibus decrevissent,
si vere eos putassent auctores fuisse, ut aiebant, omnium periculorum, vicis-
situdinum, & malorum, quibus conflictatum usque in illum diem fuerat Bohe-
miæ regnum? Dum ergo vivos dimittunt, hoc ipso satis se scire ostendunt,
mera esse commenta tot illa crimina, de quibus nos accusabant. Sed fucum
Catholicis facere necesse erat, ne putarent suæ religionis odio pelli Societatem.
Pellendæ non aliam habebant reipsa causam, nisi quod viderent, ejus opera
ultra quam ipsi vellent augeri numerum Catholicorum. Tamen dissimulan-
dum id caute fuit, atque ea improbitati imponenda species, ut suis tantum
sceleribus & malefactis pulsa Societas videretur. Hac mente fraudis præclari ar-
tifices, non modo nullam molestiam cæteris Catholicis Sacerdotibus intulerunt,
verum etiam illis humaniores hoc tempore quam soliti essent se præbue-
runt, & religiosi familiis mendicatis victitantibus largiorem solito stipem sub-
ministrandam curaverunt. Eodem consilio dederunt operam ut populo persuade-
rent, nunquam nostros pro legitimis regni incolis fuisse habitos, idque in *Ma-
gna apologia* post annum edita, non minus impudenter, quam falso affirmare non
dubitarunt. Hoc demum animo, cum viderent exploratam plerisque esse inno-
centiam Patrum, tot congerere simul crimina, tot irrogati exilii rationes red-
dere conati sunt. Ubi ergo, non jure ullo bono, sed furore tantum & vi age-
batur, nullusque justæ defensionis locus relinquebatur, cedendum tempori fuit.

43.
Perduellium ar-
tes ne videren-
tur contra Ca-
tholicos incitatu.

Abierunt, ut jussi fuerant, Patres Junio ineunte, nihilque secum præter in-
dumenta, & precum divinarum codicem extulerunt. Numerus exulum, quantum
colligere potui, fuerunt centum quadraginta, perque Austriam partim, partim
per Poloniam, & superiorem Germaniam dispersi sunt. Nonnullos etiam fra-
terne, ut par erat, exceperunt provinciæ Italica, & rerum omnium egentes
sublevarunt. Pervasit paulo post dirus turbo ex Bohemia in Moraviam, Hun-
gariamque; sed quid ibi Societas passa sit, narrabitur anno proximo. Interim
pervagata circumquaque Bohemici tumultus fama movit Batavos, ut ejectam So-
cietatem Utraquistis, tanquam præclarum facinus, gratularentur communibus lit-
teris, in quibus hæc verba legebantur. „ Sapienter, atque ordine à vobis fa-

44.
Discedunt re-
gno nostri, &
in alias provin-
cias dispergun-
tur.

45.
Batavorum gra-
tulationes ob e-
jectam Societa-
tem.

„ etum

etum censemus, quod hanc pestem extra regni vestri terminos expulistis. Nulla enim spes est, veræ ac reformatæ religioni ullam fore tranquillitatem, ubi Jesuitis, hoc est juratissimis omnis pietatis hostibus, vel tantillum loci relinquatur. Porro igitur prospiciendum vobis arbitramur, ne monstris istis portentisque apud vos unquam reditum, aut gratia, aut minis, aut precibus ullis moti concedatis.

Dum sic de nobis Batavi sentiebant, & ad amicos perferiebant suos, habebant ipsi apud se operarios Societatis viginti, qui per omnes Ordinum fœderatorum provincias dispersi id conabantur unicè, ut mortalium quam plurimos ab errore ad veritatem adducerent. Nunquam ibi melius quam hoc tempore nobis, & catholica rei fuerat, ex quo superstitio Calvinii illis terris infererat. Tranquillitatem aliquam Catholicis pepererat Calvinianorum discordia. Quod enim fatale est omnibus sectis, ut sese impediunt invicem, & sæpe in frustra concidunt, id Batavi nunc ut cum maximè experiebantur. Gomarista hinc, inde Arminiani totum Calvinianorum corpus ita diviserant, ut essent sibi invicem multo infestiores, quam Catholicis. Dum autem inter se plusquam hostiliter dimicant, nec stylo solum, sed etiam ferro depugnant; quies ab utrisque fuit catholico gregi, qui per istas breves inducias majore studio pietatem coluit, suosque cœtus celebravit ubique tutius, & crebrius. Simul nostri, occasionem rei bene gerendæ nacti, liberius huc illuc ad omnes confirmandos discurrerunt. Fuere ex ipsis heterodoxis, quibus tanta suorum dissensio suspicionem injiceret, cum præsertim viderent, summa consensione Catholicos in unam eandemque credendi regulam convenire; atque inde moti sunt aliqui, ut magistros & interpolatores mendacii desererent. Accessere divina severitatis exempla quadam terrificæ adversus impios rerum sacrarum contemptores. Leovardiæ duo Iconoclastæ, ut sacris imaginibus contumeliam facerent, signum S. Christophori male multandum susceperant certatim, eique alter oculos per ludibrium eruerat, alter crura suffegerat. Uterque non multo post dignam scelere pœnam tulit: hic enim, ut vitam servaret, pati debuit crura sibi a chirurgo præcidi: ille oculorum lumen amisit. Ibidem pictor catholicus, cum tabulam elaborasset inverecundam, & pudori noxiam, offusa repente oculis caligine, nihil videbat. Sensit miser pœnam hanc esse male collocati laboris. Conscidit obscenam tabulam, admissi veniam rogavit, Deo sanctè promittens, nunquam se deinceps tale quid incepturum. Vix precem peregerat, & oculorum usum recepit. Rem, uti à me narratur, testatam reliquit noster Sacerdos, quo ille à confessionibus utebatur.

Interim in Belgio Catholico nostri cum intelligerent, quantum intersit pueros doctrinæ christianæ elementis apte erudiri, rem istam adeo salutarem novis promovebant artibus, & institutis. Cæteris ducem se præbuit Antuerpiæ P. Gulielmus de Pretere. Viderat vir egregius, magnum esse in urbe frequentissima numerum puerorum, qui, nulla adhibita a parentibus disciplina, otiantur passim in foris, & compitis, præsertim per feriatos dies, quos vel meris nugis, vel etiam rixis, & lapidationibus transigebant. Miseratus eorum vicem Gulielmus dedit operam, ut iisdem ad meliorem vivendi formam institutendis certæ aperirentur scholæ, in quibus per dies festos prima litterarum elementa condiscerent sub magistris publico ære conductis. Haud secus ac ille suadebat, scholæ institutæ fuerunt, ac magno puerorum numero frequentari cœperunt. Aderant separatis locis lectæ virgines, quæ puellas ejusdem generis piis decurrendis precibus exercebant. Superveniebant ex nostris aliqui, & catechismum ad captum omnium explicabant. Hoc instituto dici vix potest, quantum brevi spatio profectum sit. Primo anno excrevit discipulorum numerus ad tria millia; viditque Antuerpia cum incredibili bonorum omnium gaudio, non modo purgatas puerorum gregibus & petulantibus vias, verum etiam pietati deditos, & morigeros, qui nuper procacibus jocos molestiam civitati afferebant. Gaudebat consiliorum suorum lato successu P. de Pretere: sed probe intelligens, nul-

46.
RES FLANDRO-
BELGICÆ.
In Hollandia
ob hæreticorum
diffidia respi-
rant Catholici.

47.
Exemplum di-
vine severitatis
contra sacrarum
imaginum con-
temptores.

48.
Pictor ob elabo-
ratam tabulam
minus pudicam
divinitus ple-
ctitur.

49.
Instituuntur
Antuerpiæ
scholæ pro pue-
ris pauperiori-
bus.

50.
Tuendis perpetuo scholis erigitur civium sodalitas.

51.
Idem institutum ad alias Belgii urbes traducitur.

52.
Ipris quædam monialis recusat clausuræ legem admittere.

53.
Viro P. Ogilbæo pridem mortuo sententiam mutat.

54.
RES GALLOBELGICÆ.
Frater ad Sacerdotium aspirans dimittitur e Societate.

54.
Idem coelesti viso respicit, & retinetur.

nullam esse rem quantumvis optimè institutam, quæ non senescat sensim, dilabaturque; ad hujus perennitatem sodalium erexit, cujus præcipua esset cura tueri quas dixi scholas, ac sedulo invigilare, ne quid unquam detrimenti caperent. Sodalitio, quod sub patrocinio B. Caroli Borromei constitui placuit, nomen dederunt viri amplius centum, partim ex nobilium ordine, partim ex honestioribus civitatis, quidam etiam Sacerdotio insignes. Ea in primis rogata lex est, ut singulis feriatis diebus deni sodales urbem percurrerent, puerosque infimi generis, intra septimum & decimum septimum ætatis annum, ad scholas compellerent: quod ut legitime facere, atque efficaciter possent, suam auctoritatem Antistes, & civiles Magistratus contulerunt. Curam istam gerebat una sodalium decuria per menses duos, quibus evolutis, succedebat in eandem procurationem altera, ac deinde altera, donec ad omnes in orbem rediisset idem labor. Neque vero intra Antuerpianam constitit salubris inventi fructus; sed manante paulatim ad alias Belgii urbes exemplo, Aldenardæ quoque, Gandavi, Brugis, Silvæ-ducis, alibi que idem institutum, quantum licuit, in mores inductum est.

Quæ dum ibi geruntur, Ipris noster Sacerdos Cœnobio sacrarum virginum persuadebat, ut imposerent sibi ultro communem aliis Parthenonibus, & sacram legem, nunquam amplius efferendi extra sepia monasterii pedem. Consentientibus cæteris tantum resistebat una, nullisque adduci precibus, neque suasionibus poterat, ut novæ legis jugum acciperet. Citius deserere locum constituerat, & jam assensum Apostolicæ sedis impetraverat. Cum esset propediem abitura, illud agrè persuaderi sibi est passa, ut prius nostro Sacerdoti se traderet sacris B. Ignatii commentationibus exercendam; quod tamen declaravit se invitissimam facere, ne foreores contristaret scilicet, deliberatum ac fixum habens, quæcumque sibi occinerentur à Jesuita, propositum non mutare. Verum in pio secessu mutavit usque adeo, ut paucos post dies alia prope mulier videretur. Legem antea invisam, & intolerabilem laudare jam ut necessariam, aut certe utilem, neque difficilem. Ei denique se per quam libenter subjicere. Mutati tam repente consilii causam referebat in P. Joannem Ogilbæum, quem hæretici in Scotia religionis causâ necaverant anno vertentis sæculi decimo quinto. Cum enim ejus legisset historiam, eumque colere privatim, & invocare ut verum Christi martyrem instituisset, eundem nunc affirmabat sibi invocanti perspicuum adstitisse, ac plane præcepisse, ne sororum carissimarum, quibus tandiu consueverat, societatem dimitteret. Narranti fides est habita, ut quam vera loqui persuadebat ipsa facilitas, qua vinculum perpetuæ inclusionis antea formidatum, admittebat.

Simile, ac prope geminum est, quod eodem anno accidisse tradunt uni ex Fratribus rei domesticæ adjutoribus in Gallobelgica. Vir cætera non malus, deceptus vana pietatis specie, aspirare coeperat ad Sacerdotium, quod vehementer & enixè postulans, non alia moveri se affirmabat causa, quam ut posset quotidie sacræ Hostiæ particeps fieri. Adeo sua misero illudebat ambitio. Sæpe illum moderatores admonuerant, ut sua sorte contentus viveret, curaretque magis iis florere virtutibus, quæ propriæ sunt infimi quem elegerat ordinis: in suo gradu, si vellet, posse ad excellentem sanctitatem coniti: multos inveniri laicos Sacerdotibus sanctiores, Deoque gratiores. Sed frustra omnia. Ut difficile est ei errorem eximere, qui decipitur specie recti, nihil his homo vanus tangebatur, nec a priore proposito discedebat. Persistentem itaque in infania Mutius Generalis, quando reliqua nihil proderant, ejici jussit e Societate. Vocatur Insulas, ut ibi litteras missionis accipiat, ac vestem Societatis deponat. At ea nocte, quæ discessum ejus proximè præcedebat, ex improvviso jacenti, nec scio utrum dormienti, an adhuc vigili, astat luce clara visendus B. P. Ignatius: truci & irato eum vultu contuetur, malum minatur manu; nulloque facto verbo dilabitur. Viso tremefactus respexit sese miser, & amentiam damnavit suam. Mane summo Rectorem adit, narrat quæ acciderint, ejusque pedibus advolutus, multis cum lacrymis orat atque obsecrat, ne se

sacramento Societatis exauctoratum dimittat: de Sacerdotio nihil amplius acturum pollicetur. Attestanti de nocturno ostento, nescio equidem an crediderint moderatores. Hominem certe in reliquis probum, atque laudabilem, tot ejus precibus ac promissis exorati, retinuerunt.

Longe aberat ab illius Fratris levitate vir toto Belgio clarissimus, Franciscus Montmorancyus, qui ad nos eodem anno transgressus est. Non est facile explicatu, qua omnium admiratione audita sit talis viri ad Societatem nec opinata transitio. Agebat jam ætatis annum circiter quadragesimum: florebat nobilitate, opibus, honoribus, fama: fuerat Casletensis Præpositus: erat Leodiensis Decanus (quæ dignitas Antistiti proxima), & ad supremos sacerdotii gradus communibus votis destinabatur. Hæc tamen omnia vir coelestium desiderio succensus in postremis habens; venit ex improvise ad Tornacense tirocinium cum Episcopo ejusdem urbis, quicum erat illi arcta propinquitas, & domesticorum ingenti numero. Ibi coram Rectore, explicata ratione consilii sui, primo Leodiensem decanatum solemniter abdicavit: tum famulis supremum vale dicens, omnes rei novitate confusus, & lacrymis oppletos dimisit: postremo tunicam Societatis latus induit. Post aliquot menses incidit in adversam valetudinem, exigua, vel prope nulla spe melius habendi, nisi ad pristinam vitæ consuetudinem revertetur. Adeo reverti noluit, ut imo disertè affirmaret, malle se ægrotare in Societate, quam extra eam valere. Simul moderatores per Christi charitatem rogabat, ad omnia inutilem ne ejicerent: ferrent patienter hominem ordini gravem, haberentque, si non loco fratris, at saltem famuli: adniscum se, ut carissimæ Societati quam minimum incommodaret. Sic ille pro sua singulari modestia: quæ quidem eo erat spectabilior, quod pluribus jam, & insignibus Societatem ornaverant beneficiis. Nam & collegio Ariensi dotem ex magna parte confecerat, & Duacensi donaverat quod satis fuit, ut ibi seminarium Theologorum institueretur.

Per hæc Duaci magno invaluerat opere illius morbi vis, qui plures deinde Belgii urbes affligens, uberem nostris materiam charitatis, & patientiæ præbuit. Magistratus Duacensis, ut serpere latius luen pestilentem vidit, à Rectore collegii nostri Sacerdotem petiit auctoritate spectabilem, non tam ad curandos ægros, quam ad continendam in officio plebem. Ut enim in publicis calamitatibus difficilius exercentur leges, periculum erat, ne laxato legum metu respublica turbaretur, & quavis nocentior peste impunitas delictorum corrumperet civitatem. Petenti datus est P. Gerardus Vernianus, vir apud summos infimosque plurimum auctoritate, & gratia valens: qui, ut facile continuit populum, ne tam calamitoso tempore licentius insolesceret; ita continere se minime potuit, ne quocumque suo periculo obiret languentium ades, eorum lætæ assideret, opem quam poterat omnibus præberet, Impavidum faciebat, non solum charitas, quæ foras mittit timorem, verum etiam periculi experientia. Nam cum similiter antea Namurcensibus pestilentia afflatis ministrasset, licet dies noctesque inter ægros versatus, malum nullum contagione contraxerat. Sed nullius est interitus certior, quam qui pericula aspernari didicit. Vernianus, dum nimia fiducia, ac sui prope securus famulatur ægrotis, pestem hausit, qua intra paucos dies extinctus est. Mortuo Magistratus urbanus bis iusta perfolvi jussit, præsentem se: semel in ade pratorii: iterum in curiali, ubi fuit conditus. Ejus autem morte, quasi victima cecidisset pro communi incolumitate devota, diceres placatas fuisse coelestes iras: adeo post illam diem Duaci vis morbi remisit.

Ex provinciis Belgicis convertimur paululum ad socios in missione Anglica laborantes, quos postea Mutius justis de causis in separatam provinciam corpus conjunxit. Erat porro per istos dies in Anglia rerum conditio difficilis. Sanguini Catholicorum parcebat quidem Rex Jacobus, sed in cæteris leges adversus eos latas severe admodum exercebat. Delatorum, perquisitorum, satellitum plena erant omnia. Irrogabatur catholicis Sacerdotibus, si qui comprehenderen-

To. I.

V

tur,

56.

Franciscus
Montmorancyus
in Societatem se
recipit.

57.

Ejusdem in
novo statu con-
stantia admira-
bilis.

58.

P. Gerardus
Vernianus utili-
ter laborat Duaci,
lue faviente.

59.

Idem in obse-
quio tabidorum
pic moritur.

60.

RES ANGLIÆ.
De juramento,
quod à Catholi-
cis exigebatur.

tur, exilium : poena capitis, si ultra diem quadragesimum remaneret, erat constituta. Plurimi e populo vinculis constricti, spoliati bonis, ad nefarios hæreticorum cœtus abripiabantur. Proceres jurare cogebantur in formulam, sive juramentum, ut aiebant, fidelitatis, quod ne facerent Romanus Pontifex diserte vetuerat. Recusantibus, fortunarum, libertatis, & vitæ jactura erat proposita. Nonnulli, ut Pontifici, & Regi Angliæ, ac sibi etiam utcumque satisfacerent, existimabant, Pauli V. decretum contra juramentum hoc editum, non eandem vim, qua pridem pollebat, obtinere, mutatis rebus, ac circumstantiis: quam mutationem ex eo præsertim capite repetebant, quod Rex significasset, tali juramento id unum sibi esse propositum, ut civilis obedientia populi, & fidelitas erga Regem muniretur. Verum nec de ea, seu mente, seu voce Regis Jacobi satis constabat, nec in ipsa formula commutatio ulla fuerat facta; sed iisdem omnino quibus antea verbis jusjurandum exigebatur. Præter hæc, ipse ille titulus, qui erat formulæ juramenti præfixus, *Ad detegendos, & reprimendos Papistas*, satis indicare videbatur, plus aliquid exigi, quam merum fidelitatis Regi debitæ vinculum; ut deinde Urbanus VIII. declaravit anno sæculi vigesimo sexto, cum Apostolicis litteris approbaret, renovaretque Pauli V. censuram. His de causis Catholici, quibus parere Romano Pontifici fixum, quilibet pati malebant, quam secundum eam formulam Regi sacramentum dicere, minime cæteroqui abnuentes eidem obedientiam quam optimo modo præstare, & jurare. Quam multi, viri pariter ac mulieres, ob eam rem ad tribunalia raptati, everfi bonis, in carcere coniecti fuerint, longum esset per partes exequi. Confirmabant eos ad constantiam operarii Societatis, & omnium maximè P. Richardus Blondus, quem consulebant passim Catholici Londinenses, & ob doctrinæ ac sanctimoniam famam velut magistrum audiebant. Neque vero impensus reducendis ad veritatem heterodoxis labor, quamvis adverso tempore, frustra fuit. Anno uno centum & quinquaginta Ecclesiæ restituti fuerunt. Quo in numero unus quidam inventus, qui olim religionem in ordine præcipuè sanctitatis professus, deinde utriusque sacramenti proditor, sacrilegis se nuptiis irretierat. Respexit sese miser cohortatione nostrorum, adjutusque ab iisdem opera, atque pecunia, transmisit in Belgium, Deo primum, deinde ordini, unde desciverat, satisfacturus.

61.
Aliqui Catholici dubitant, an liceat illud jusjurandum edere.

62.
Recusant & bonorum jacturam pati malunt.

63.
Plures ab hæresi ad Ecclesiam revocantur.

64.
Duo Patres in carcerem conjiciuntur.

65.
Alii duo exulare jubentur, & primo P. Thomas Wortingtonus.

66.
Deinde P. Guilielmus Balduinus.

Ex nostris hominibus, qui erant per Angliam dispersi ad octoginta, & tutis se latebris continebant, duo tantum hoc anno capti, & in vincula coniecti fuerunt, P. Thomas Everardus, & P. Guilielmus Stantonus. Prior Londini in carcere nova portæ, alter Lancastræ in custodiam est datus. Accefferat proditorum cujusdam scelerati apostata tertius, nisi vinculum satellites accepta pecunia solvisset: quod ubi perspexit proditor, seu pudore, seu rabie, sive etiam malefacti conscientia, tantam cepisse dicitur ægritudinem, ut exemplo Judæ laqueo se suspenderit. Duo itidem Patres eodem anno exempti vinculis, & carcerem exilio mutare sunt jussi, Thomas Wortingtonus, & Guilielmus Balduinus. Priorem illum, patria Lancastrensem, jam à duobus annis detinebant in Londinensi carcere, non alio delatum crimine, nisi quod Sacerdos esset catholicus, & diu populares suos doctrina catholica imbuisset. Sed quia carcerem vir egregius in scholam pietatis converterat, auditoresque tot habebat ac discipulos, quot in eo cludebantur Catholici; egit primo Pseudoepiscopus Londinensis, ut pius ille grex, distributis in varias custodias Catholicis triginta, dissiparetur: ac paulo post Wortingtonus, cum non appareret causa, vel crimen satis probrosum ut publice necaretur, exulare coactus est. Balduinum Anglicanæ missioni præpositum, in Belgio tamen commorantem, vulgaverant adversarii Societatis, non modo confcium, sed & participem fuisse celeberrimæ illius conjurationis, quam *Pulverariam* dixerunt. Ea res cum crederetur in aula Londinensi, nullum lapidem non moverunt Jacobi Regis satellites, ut eum haberent in potestate; habueruntque tandem opera Friderici Comitis Palatini, qui per fines Rhenani Palatinatus iter facientem interceptit, & in Angliam

giam misit supplicio ultimo afficiendum . At in Anglia iustus causam dicere, etsi minus æqui essent Judices, fictum crimen ita depulit, ut omnium sententiis, & ipso Regis iudicio innocens fuerit pronunciatus. Restabat ut liber dimitteretur. Id Albertus Archidux Belgii Gubernator, id Principes alii catholici postulabant. Nihilominus octo ipsos annos in arce Londinensi, tanquam causa nondum finita, detentus est: in eaque contabuisse, nisi Didacus de Sarmiento, Hispaniarum Regis apud Jacobum legatus, eum hoc anno eximi vinculis postulasset hominem, qui publica voce, atque ipsa Regis confessione, extra culpam foret. Ita demum eductus est carcere Balduinus, & ex Anglia cum honore dimissus. Prius quam abiret, permissum illi fuit, ut apud Hispaniensem Legatum palam ac libere diversaretur; abeuntem vero ipse Rex viatico, & cæteris ad iter necessariis instruxit: agnoscentibus cunctis, dari hæc perspectæ viri innocentie, atque virtuti, quam in tam diuturno ac duro carcere ipsi laudaverant adversarii.

In Gallia primus hic annus fuit, cum dies anniversaria S. Ludovici regis dierum sacratiorum ritu coli cœpit ex præcepto. Id nuper cum impetrasset a Pontifice maximo Ludovicus XIII., illud etiam sibi faciendum duxit, ut dies toti Gallie felix & fausta quam splendidissime, ac religione præcipua ageretur Parisiis, præsentem se: qua in re parem magnificentie pietatem adhibuit. Non est ut referam de festis ignibus, de tormentorum explosionibus, aliisque id genus lætitiæ publicæ signis, per eam occasionem editis Regis iussu, sumptuque. Quod ad rem pertinet, sacris peragendis officiis delegit Rex templum nostræ domus professæ, quippe S. Ludovico sacrum; utque esset quam ornatissimum, misit e regali sacello magnam pretiosæ suppellectilis copiam, & ad præstitutam diem suos ibidem adesse iussit cum instrumentis musicis symphoniacos. Affuit deinde ipse, ejusque celebritatem diei præsentia sua, & pietate insigniter illustravit. Mane cum venisset in domum Professorum, substitit paululum in sacello domestico, peractaque apud P. Arnulphum confessione piaculari, transit in sacram ædem, ut sacrificio, quod augustioribus ceremoniis celebratum est, interesset cum Regina conjuge, quæ eodem advenerat. Interfuit autem pietate ac modestia tanta, ut multi intuentium a lacrymis non temperarent, omnes silentio & admiratione defixi hærerent. Perstitit eodem precantis habitu immotus quamdiu res sacra acta est, totoque eo spatio temporis nec tantulum visus à precibus cogitationem abstrahere. Semel tantum obvertit se paululum, ut fratrem natu minorem, & adhuc teneræ ætatis, videret ad similem pietatem ac reverentiam compositum. Demum sacram dapem de manu Sacerdotis sumpit. Hæc horis antemeridianis. Post prandium in eandem ædem cum insigni pompa, ac tota regia familia rediit piissimus Princeps, tum ut adesset precibus vespertinis, quæ solemnæ Ecclesiæ ritu sunt decantatæ, tum etiam ut concionem audiret, quam de Sancti Ludovici laudibus habuit Pater Joannes Arnulphus, orator excellens, & tunc Regi à confessionibus. Ita porro peroravit Arnulphus, ut ejus eloquentiam, cum eximia prudentia modestiæque conjunctam, laudarent vehementer omnes, ac mirarentur. Præter alia commodissime dicta, scite admodum diserteque differuit de benevolentia illa singulari, qua olim S. Ludovicus religiosas familias SS. Dominici ac Francisci tutatus est, & occasione inde sumpta, sermonem deflexit molliter ad nostram Societatem, quam Regi commendavit majorem in modum; ea tamen non solum modestia, verum etiam dexteritate verborum, ut grata Principi, nec ulli quantumvis inimico invidiosa acciderit oratio: quod quidem iis temporibus, atque in eo præsertim rerum articulo visum notabile. Namque, ut cætera hujus argumenti absolvam, vix credibile sit, quanto conatu egerint adversarii Societatis, ut quam dixi celebritatem Rex in alio quolibet Lutetiæ templo peragi, quam in nostro mallet. Hunc præcipuè honorem sibi deposcebat Regis Parochus, utque impetraret, nihil intentatum reliquit. Eundem ad se trahere conabantur, ac prope ut rem sibi debitam postulabant Sacerdotes sanctioris illius sacelli, quod exstat Parisiis

To. I.

V 2

a S. Lu-

67.

Cujus innocentiam agnoscens Rex, eum retinet in carcere per annos octo.

68.

RES PROVINCIA PARISIENSIS. Rex celebrari jubet festum S. Ludovici in nostro templo.

69.

Ipsæ celebritatem illustrat præsentia sua, & insigni pietate.

70.

Quot artes adhibuerint adversarii Societatis, ut Regis propositum interverterent.

a S. Ludovico conditum; cum maximè sacrum Ludovici caput apud se haberent, essentque illud solemnè pompa per urbem devecturi. Istorum causam egerunt contentione summa validi apud Regem deprecatores. Ipse P. Arnulphus, ut Societatem ingenti eximeret invidia, justam sibi videri eorum petitionem, affirmavit Regi, sed frustra: adeo obfirmaverat Princeps benevolentissimus suam erga nos voluntatem egregiam novo illo, & publico documento testatam facere. Ulterius ventum est. Pridie ejus diei, in quem sacra celebritas indicta fuerat, astrologum subornaverunt malevoli, ut diceret, si postridie Rex prodiret in publicum, imminere ejus vitæ grande infortunium, quod maligna astra portenderent; idque Regi significandum curarunt. Die eodem libellum famosum ediderunt in vulgus, usitatis confertum criminationibus, in quo conspirationes adversus Principes, & Regum cædes, nullo licet vero exemplo, nostris hominibus ut quotidiana flagitia tribuebantur. Alii in speciem æquiores, ut Regem à proposito dimoverent, angustias loci, populi confertissimam multitudinem, maximos anni calores exaggerabant; seque enim vero timere ajebant ejus valetudini, si se tali die in templum adeo angustum conjecisset. Sed nihil magno-pere profuit: neque enim is erat Ludovicus, qui non perspiceret inclusam tot artibus invidentiam, & fraudem. Contempsit ex æquo inanes astrorum minas, & simulatam assentatorum sollicitudinem, eoque die cum apud nos versaretur, non solum pietatem solita majorem præ se tulit, verum etiam, quod observatum est, multo quam solet hilarior vegetiorque apparuit.

71.
RES CAMPANIE.
Fundatur collegium Catalaunense.

Eodem anno tria de novo accessere Societati collegia in provincia Campaniæ, Catalaunense, Calvomontanum, & Augustodunense. Catalaunum urbs est in Campania nobilis, supra Matronam amnem. Civitatis pars major, & melior Societatem expetebat impense, & jam de tradendo nobis gymnasio suo publico cum P. Armando Provinciali transegerat. At obstabant magnarum opum adversarii, quantumvis pauci; totque interferebant moras, ut negotium prope confectum, nunquam plane conficiendum videretur. Moras omnes quam citissime sustulit anno labente Rex. Comperto enim, ex tredecim Curii, in quas plebs urbana dividitur, duodecim favere collegio Societatis, hisque consentire Episcopum, sacerdotalem ordinem, & nobilitatem fere universam; nostris gymnasium mancipio tradi, & antiquos possessores alio traduci jussit. In hunc modum stetit Catalaunense collegium, in quo statim erudienda teneriori atati quinque classes latinæ apertæ sunt. Debuit beneficium, cum civitati universæ, tum Episcopo in primis Cosmæ Clauffe ex Dominis Marchaumontii, viro non doctrina minus, quam generis nobilitate clarissimo, qui pecuniæ summam non exiguam in dotem collegii contulit. Facilius natum est in superiori Campania collegium Calvomontanum. Guillelmus Rose, juvenis eximie spei, Calvomontani Prætoris filius, cum fuisset in nostrum ordinem cooptatus anno superiore, partem paternæ hæreditatis seposuerat ædificando Societatis collegio. Multum sanè adhuc ad justum collegii censum deerat: tamen cives illo qualicumque initio delectati, fidentesque non defuturam sibi, Deo propitio, rei perficiendæ facultatem, jam tum diploma regium postulaverunt de collocanda apud se stabili in domicilio familia Societatis. Vix impetraverant, cum Galaad de Haut, ejus quem dixi Guillelmi fororis filius, excitatus exemplo avunculi, Societati pariter nomen dedit, & vectigal annuum collegio perficiendo transcripsit. Ædes coemptæ sunt in optimo urbis loco. Et commodum in his olim struendis ædibus senator Calvinianus, quamquam futuræ fortis imprudens, earum foribus sacrosanctum Jesu nomen præfixerat, Societatis insigne. Paulo antiquiora habuit initia collegium Augustodunense. Caput Æduorum fuisse olim perhibent Augustodunum. Urbs plane est cum primis nobilis, eamque vestigia adhuc exstantia antiquæ magnitudinis haud parum illustrent. Huc magno civium studio vocati cum fuissent ante quinquennium nostri, itum est ad Regem, ut illis jus domicilii tribueret. Sed quam facile tribuit Rex, tam difficilè se præbuit Senatus Divionensis in regio approbando diplomate, quod ut minus legi-

72.
Ortus collegii Calvomontani.

73.
Augustodunense collegium constituitur.

legitimum rejiciebat. Hinc res in longum extracta. Sed quod dilatum fuerat hæcenus, nunc demum cives optime erga nos animati impetraverunt, & immissa in possessionem gymnasii publici Societate, collegium constituerunt.

Dum sic provincia Campaniæ, tunc Gallicarum magnitudine & tempore potestrema, tot simul accessione domiciliorum augebatur, Lugdunensis novam stationem adipiscitur Burgi in Bressia, quod oppidum latini Forum Sebastianorum appellant. Regionem hanc, prius quam ab Allobrogum Duce Carolo Emanuele cum Salutarum ditione commutaretur, aliqua ex parte corruperat superstitione Calviniana. Burgi, quod est regionis caput, ut aliqui erant errori palam addicti, ita non adeo pauci inveniebantur, præsertim ex nobilioribus, de veritate solliciti, & fluctuantem in utramque partem. Hic æstus animorum ut sedaretur, placuit audire partium Theologos de controversis religionis capitibus disputantes. Indicta disputatione, adest pro Calvinianis Theodatus nescio quis, doctrinæ laude apud Genevenses apprime clarus. Pro Catholicis vocatur ex Lugdunensi collegio P. Jacobus Gualterus, controversiarum ejus generis experientissimus. Conferitur coram arbitris pugna, cujus is fuit exitus, ut statim audientium quamplurimi errorem Calviniana damnarent. Ea res Burgenisibus miram cupiditatem injecit habendi apud se stabilem Societatem, quæ sic pro veritate certaret. Nullam pati moram poterant. Cum nondum esset in promptu unde collegium justæ magnitudinis excitarent, illud celeriter perfecerunt, ut statio paucorum capitum Burgi collocaretur, domumque interea de publico ad habitandum dederunt, & annum pecuniæ subsidium pro alimentis Patrum constituerunt. Per idem tempus stationi Dienfi duo de novo additi sunt operarii, hac imposita lege, ut regionem circumpositam, quæ fere tota erat hæreticorum, obirent. Qui primi obierunt, laboris incredibilem fructum ceperunt. Præter alia bene ac feliciter ubique gesta, pagum integrum ab hæresi ad Romanum cultum traxerunt, divinamque ibi fecerunt rem, ubi quinquagesimo jam anno fieri omnino desierat. Sed inter acta Sociorum memorabile in primis quod gestum est Nemausi. Vir in sacro ordine religionem professus transfugerat ad hæreticos, exceptusque magna gregalium gratulatione & gaudio, in eo jam erat ut communionem catholicam publicè ejuraret in conciliabulo ipsoforum. Frequentes jam confluerant ex locis proximis Calviniani Nemausum, visuri spectaculum impium, & triumphum sectæ, ut gloriabantur, de Ecclesia Romana celebraturi. Mœrentibus ob eam causam Catholicis, aliqui nostrorum alloqui nefarium desertorem studuerunt: uno autem congressu tantum apud eum hortando monendoque valuerunt, ut resipuerit miser, & ab horribili barathro, in quod præceps ruebat, gradum retulerit. Ecclesiæ primo, deinde etiam sacro suo ordini reddidit sese, viam demonstrantibus nostris, ac complanantibus: quo dempta impiis quam male captaverant voluptate, gaudium in celo fuisse putandum est.

Decefferunt per idem tempus provinciæ Lugdunensi duo Patres, exsudatis in vinea Domini laboribus singulariter memorandi, Claudius Baratius, & Stephanus Cuffinetus. Hujus posterioris obitum magno profecuti sunt lætu Vesulienses, præsertim rustici, quibus doctrina fidei instituendis, & quacunquæ, posset ope sublevandis se totum ita devoverat, nullam ut haberet rationem, neque tempestatum (quæ qualescunque essent, iturum in sacras expeditiones nunquam demorabantur), neque valetudinis, qua ut plurimum dubia utebatur. Baratius non vulgare virtutis specimen ab ipso tirocinio dedit. Rejectus enim, nescio quo casu, inter domesticos adjuutores, quamquam esset ad Sacerdotium abunde instructus litteris, qualemcunque injuriam æquissimo tulit animo, perrexitque per annos quatuor pistoris, & coqui ministeriis perfungi. Certior factus provinciæ præses, esse Baratio ingenium humanioribus excultum litteris, & altiorum disciplinarum capax, illum quidem e culina nihil tale cogitantem transtulit ad gymnasium, & audire philosophiam jussit Burdigalæ: at per ipsum non stetit, quominus in gradu infimo fratris laici consensesceret. Sacerdos initiatus,

vir-

74.
RES PROVINCIÆ
LUGDUNENSIS.
Disputatio
Burgi habitæ
cum hæreticis.

75.
Collocatur
Burgi residentia
Societatis.

76.
Statio Dienfis
augetur. Aug-
menti fructus.

77.
Conversio cui-
jusdam apoitatae
Nemausi.

78.
Obitus & elo-
gium P. Step-
hani Cuffineti.

79.
Et P. Claudii
Baratii.

80.
RES AQUITANÆ
N. I. E.
Obitus & elo-
gium P. Ignatii
Balsami.

virtutes hujus ordinis proprias eximie coluit, nihil tamen remittens de priore demissione, & prompta ad omnes majorum nutus obedientia. Otio nihil pejus oderat. Itaque nec podagræ doloribus, quibus dirè vexabatur, nec senio vinci unquam potuit, ut ullam sibi laborum vacationem quareret. Una illi voluptas, & vero summa, præsertim in senectute extrema, de rebus cœlestibus vel audire, vel loqui; quod indicabant lacrymæ, ad primam earum rerum mentionem, optimo seni ubertim prosilientes. Obiit Dolæ, annos natus prope octoginta.

Haud minorem sui opinionem reliquit Lemovici P. Ignatius Balsamus, si-
ve, ut aliis placet, Balsamonius, qui tametsi per plures Galliæ provincias tra-
ductus, Aquitanæ potissimum adscribendus videtur, in qua annos continenter
septendecim, eosque vitæ ultimos posuit. Natus erat in Apulia, regni Nea-
politani provincia. Ab Alphonso Salmerone receptus in Societatem, paucos post
annos migrare est jussus in Galliam, ex qua amplius non discessit. Turnone
humaniores litteras prius, deinde philosophiam, ac theologiam tradidit. Ave-
nionæ tironum institutioni præfuit. Tolosæ conscientias domesticorum rexit,
eandemque præfecturam per annos, uti dictum est, septendecim gessit Lemo-
vici, ubi demum actuosâ vitæ metam attingit postridie Cal. Oct., annos natus
quinque supra septuaginta. Vir plane insigni sanctimonia, ut qui conjunctissime
semper cum Deo viveret, ac præter præfinitas orandi horas, mentem a rebus
cœlestibus fere nunquam averteret. Eminebat ex ejus ore plus pane dixerim,
quam humanus pudicitiae color, quam virtutem custodiebat adeo solerter & cau-
tè, ut cum tibiam haberet purulento ulcere vitiatam, suis illam curaret mani-
bus, ne a quoquam tangeretur. Par castimoniae patientia, par afflictandi cor-
poris studium. Præter somni cibique parcitatem, laborem nullum refugiebat ex
iis, quibus onerari operarius robustissimus potest: morbos autem, quibus mo-
lestissimis laborabat, ac fere perpetuis, ut cœlestis Patris beneficia totidem,
certissimaque divini amoris pignora accipiebat. Silentium servabat exacte, in-
eoque partem domesticæ disciplinæ maximam constituabat. Vulgo ferebatur mul-
tis supra usum naturæ donis abundare, erantque qui dicerent, eum sibi esse
conspectum aliquando à terra sublimem, & mira luce radiantem. Quarum re-
rum fama permotus Henricus IV., cum forte ad urbem Lemovicensium diver-
tisset, agnoscere Balsamum de facie voluit, eundemque blande complexus, ef-
fari jussit libere si quid vellet. Ille aliud rogavit nihil, nisi ut diem festum
S. Ludovici regis curaret à Pontifice maximo reponendum inter dies præcepti
religione servandos in tota Gallia. Insignem hominis modestiam & pietatem mira-
tus est Rex vehementer, laudavitque; quod tamen rogabatur, successori suo
Ludovico XIII. perficiendum reliquit. In tradendis B. P. Ignatii exercitiis pol-
lebat Balsamus arte præcipua, viditque suo ductu & institutione multos nobi-
lium a solutiore vitæ genere ad perfectionis studia transgressos. Nonnulla etiam
scripsit pii argumenti volumina, quæ à studiosis christianæ perfectionis utiliter
perleguntur.

81.
RES PROVINCIÆ
TOLOSANÆ.
Celebris dispu-
tatio P. Regour-
di cum Daniele
Chamerio.

In provincia interea Tolosana multorum sermonibus celebratam invenio
theologicam concertationem, quam cum insigni Calvinianorum doctore P. Re-
gourdus habuit Lectoraci, quod oppidum haud longe abest Tolosâ. Peracta res
est cum ingenti celebritate, & concursu. Primi sectæ gregales Regourdum,
Tolosâ evocatum in certamen provocaverunt, cum eoque commiserunt homi-
nem magni inter suos nominis Danielem Chamerium, qui Montalbani principa-
tum doctrinæ obtinebat. Virum talem in disputando superiorem fore pro cer-
to sumebant heterodoxi, Catholici superandum sperabant. Die constituta, au-
lam congressibus destinatam ingens omnium ordinum multitudo complevit, Ca-
tholici simul & Calviniani, quos ex tota circum vicinia disputationis fama
contraxerat. Aderat in editiore loco urbis Prætor Dominus de Fontrailles, cum
conjugè, ambo Calvini asseclæ. Assidebat scriba, ex mutuo partium consensu
designatus ad excipienda litteris, quæ utrinque dicerentur. Dies quinque te-
nuit disputatio. Actum de plerisque capitibus, quæ hæresis Calviniana rejece-
rat:

rat: de conversione panis, & vini in verum corpus, & sanguinem Christi: de cultu Sanctorum: de sacrarum imaginum veneratione: de expiatoriis post mortem poenis, aliisque id genus. In singulis porro congressibus ita exagitatus est Chamarius, ita Regourdo succubuit, ut maluerit exitum pugnae querere prompta fuga, quam longiore dimicatione sibi clades multiplicare. Causatus itaque opus sibi esse libris, quos Montalbani reliquisset, poposcit paucorum dierum inducias; sed iis impetratis, abiit non reversurus, utque multum expectaretur, amplius non apparuit. Et tamen, quæ frons hominis erat, Montalbanum subiit jumento laureato triumphantis in morem, harente ad latera gregalium manipulo, & victoriam gratulante. At dum ille mendaciis, ut poterat, acceptam velare ignominiam studet, Regourdu Lectoraci letum victoriæ fructum colligebat. Veritatem agnoverunt è Calvinianis bene multi, & ad Ecclesiæ Romanæ signa traserunt. Prætoris uxor præ ceteris catholicam professæ est, ejuravitque solemniter hæresim. Idem haud multo post fecit Prætor, licet ea natus familia, qua forte nulla fuerat in tota Gallia Calvino addictior: quod talis viri exemplum omnibus admirationi fuit, & plurimos habuit sectatores.

Ex provinciis Hispaniensibus Batica miserat ante quinquennium in Canarias insulas tres Sacerdotes, Alphonsum Garziam, Franciscum Aloysium Manzanum, & Simonem à Turreblanca, ut essent Lopio Velasco insularum Episcopo comites navigationis, & sacerdotalis muneris adjutores: nunc eosdem è sua expeditione reduces accepit. Ne manerent ibi diutius, effecerunt nonnulli aliorum ordinum Religiosi, quæsti apud Regem, imminutum iri jus suum, si Societas sedem figeret in Canariis. Cæterum quamdiu fuerunt in illis insulis Patres, ita se, & operam suam colonis pariter & indigenis probaverunt, ut in magna Canaria, quæ est insularum præcipua, multa esset deliberatio de concesso Societatis domicilio, & quidam fundos in alimenta duodecim Sociorum offerrent. Sæpe eos redire in Hispaniam cogitantes Ferdinandus de Osorio regius Gubernator retinuerat vel invito, proposita navarchis & naviculariis poena, si quis eosdem deveheret. At nunc abire jussos dimittere coactus est. Quis vero ejus dolorem explicet satis? Argumento esse poterunt litteræ, quas ad Præpositum Generalem dedit in hæc verba: „ Tandem, inquit, hinc abeunt Patres (nihil enim mihi ad eos retinendos fuit reliquum, quam ut vim adhiberem), atque ita abeunt, ut huic magnæ Canariæ, & sex reliquis meæ provinciæ insulis maximum sui desiderium, & communem luctum relinquunt. In summo omnium mœrore nihil solatio est, nisi certa quæ ostenditur spes, illorum reditu in Hispaniam facilius confectum iri negotium, ab omnibus summe expetitur, de Societate in his insulis perpetuo collocanda. Quod nisi nobis hæc fuisset oblata spes, Patres profecto vi etiam adhibita retenti essent. Sic ille pro egregia sua erga nos voluntate. Quæ quidem viri amantissimi spes ut dilata diu, ut impleta demum fuerit, in loco referemus.

Per hæc in Lusitania duo desiderati sunt digni annalium memoria viri, P. Petrus Paulus Ferreira, & frater Balthasar Diaz. Ferreira Malacæ in regno Granatensi natus, post exactam innocentissimè adolescentiam sub disciplina Ven. Joannis de Avila, in Societatem se recepit; eratque jam tum humanis divinisque litteris ita instructus, ut datus fuerit statim novo Eborensi collegio sacrarum litterarum interpres, quo munere ad plures deinde annos cum magna laude perfunctus est. Eum vulgo bibliothecam viventem appellabant, propterea, quod memoria valeret incredibiliter, & semel lecta perpetuo meminisset. Multo tamen spectabatur magis religiosiis virtutibus, charitate præsertim, mansuetudine, & animi candore quodam ingenio, quo morem sibi fecerat, ut semper crederet de omnibus meliora, nec facile minus æquis de quopiam suspitionibus locum daret. Postremos vitæ annos egit Ulyssipone, unde ad superos, ut sperare fas est, evolavit III. Idus Junii. Frater Balthasar Diaz Bracharensis, cum esset antea professione pharmacopola, idem in Societate munus gessit Eboræ, per-

82.
Disputationis
exitus, & iru-
ctus.

83.
RES PROVINCIÆ
BATICÆ.
Expositio in
Insulas Cana-
rias, ejusque
exitus.

84.
Prætoris Ca-
nariensis litteræ
ad Præpositum
Generalem.

85.
RES LUSITANIÆ.
Obitus & elo-
gium P. Petri
Pauli Ferreira.

86.
Et fratris Bal-
thasaris Diaz.

perfectique in eo munere, ut ob industriam & probitatem plurimi fieret. Ferebatur eximia erga pauperes charitate, eaque propter solebat illis sine pretio medicamenta largiri; ratam habentibus ejusmodi liberalitatem moderatoribus, quibus ad liquidum ostendebat, rependi sibi à Deo cum fœnore quidquid in pauperes erogaret. In Africam cum Sebastiano Rege profectus, à Mauris captus, & durissimam servire servitutem coactus, magno ac forti animo misera conditionis ærumnas tulit; quodque mirandum magis, inter multiplices vitiorum sordes innocentissimè vixit. Lusitaniæ redditus cum fuisset, jussu Philippi Regis petiit Hierosolymam, sacratiora illa reparationis nostræ monumenta religiosissimè perlustravit, novo demum pietatis ardore succensus Eboram rediit, ubi septuagenario major diem clausit extremum postridie Idus Apriles. Vastante Ulyssiponem dira lue, anno superioris sæculi sexagesimo nono, agrotis sublevandis se totum impenderat. Exstat ejus vita ab Antonio Franco fuscè exarata. Sed ad res transmarinas aggrediamur.

87.
RES PROVINCIAE
GOANÆ.
PP. Emmanuel Ferreira,
& Emmanuel de Azevedo Macassarem navigant.

88.
Favet illis initio Rex, sed mox ob tumultum Mahometanorum alienatur.

89.
Remanet tibi Azevedus, & multis confistatur incommodis.

90.
Legatio Proregis Indiarum ad Regem Macassarem.

Utque à ceterioribus Indiarum provinciis exordiamur, è collegio Malacensis, quod id temporis in Goana censebatur, Patres Emmanuel Ferreira, & Emmanuel de Azevedo, par operariorum insigne, ante annos duos navigaverant in Celebem (est ea Molucarum insularum maxima, quam usitatior vocabulo Macassarem vocant), fuerantque initio in nonnulla spe rerum feliciter gerendarum. Nam cum illuc paulo ante appulissent mercimonii causa Lusitani negotiatores, Regem nacti fuerant sibi supra quam sperarent propitium, & rerum peregrinarum apprime cupidum, quæ Principis indoles haud temere putabatur magnam facultatem ad propagandam Christi religionem Patribus allatura. Sed lætam spem plus nimio fefellit exitus. Advenas Sacerdotes excepit quidem humaniter & amice Rex; quin eosdem aliquandiu perquam familiariter habuit, solitus ad eos subinde accedere, eorum curiosius lustrare reculas, si quid cupiditatem moveret, sibi petere. At homo nihili, quæ animi levitate in illos se effuderat ab initio, eadem se ab iisdem abstraxit, quæ prima se dedit occasio. Neque occasio defuit diu. Vigebat ibi Mahometica superstitio, ejusque sectæ numerabantur in urbe regia antistites fere mille. Hi veriti, ne quemadmodum consuetudine, sic etiam doctrina nostrorum Rex paulatim delectaretur, factò agmine irrumpunt in regiam, & minaci succlamatione illum admonent, ne quam moveat suspicionem Christianæ religionis amplectendæ; Mahometanis enim cum Christiano Principe convenire nunquam posse: nec plura effati discedunt. Ea vox barbarum æquè regni avidum, & regnandi imperitum ita conterruit, ut se statim ab omni commercio Patrum abduxerit. Sensere mutatam erga se Principis voluntatem Patres. Captato nihilominus tempore, illum adeunt denuo, nactique muneribus faciles ad ipsum aditus, post utilitates salutationes, sermonem de Christi fide inferunt. Sermonem vix inchoatum abruptit barbarus: ac se quidem, inquit, Lusitanis amicum antea fuisse, ac porro fore: verum ut patrias religiones cum peregrinis permutet, id adeo indignum videri, ut non sit passurus sibi iterum de ea re verba fieri. Dimissi tam tristi responso Patres facile intellexerunt, nihil spei esse sibi reliquum inter Macassarense. Nihilò tamen minus Azevedus manere in loco statuit, ne Lusitanis mercatoribus Sacerdotis ministerium deesset. Ferreira vela fecit in Soloriam insulam, Bimam inde, si daretur facultas navis, transgressurus, & Christi nomen inter Bimenses propagaturus. Digresso Ferreira, materies agendi nulla, patiendi vero multiplex Azevedo fuit in promptu. Totos quinque menses agrotavit graviter, jacuitque in illo barbaro externoque solo egenus rerum omnium, omni humana ope destitutus. Cum adhuc esset morbi reliquiis debilitatus, ecce tibi in portum invehitur navis Lusitana, cum splendida ad Regem legatione, cum litteris, & muneribus ab Indiarum Prorege. Res quam inexpectata, tam læta animum reddidit Azevedo, & spem pristinam excitavit. Rogabatur ea legatione Rex Macassarense foedus jungere cum Lusitanis, pacifici jus mutui commercii, & liberam potestatem nostris hominibus facere promulgandæ in suo regno legis Christianæ: quod

quod si impetraretur, multæ vicissim illi, nec contemnendæ utilitates offerebantur. Verum ut cognitum in urbe est, quid petens venisset Proregis Indici orator, commoveri denuo, ac ferociter tumultuari Mahometis antistites. Regem deinde adoriuntur oratione subdola, ac mendacissima: Lusitanos obtentu foederis deditionem poscere: amicitiam nunc, & societatem accipienti, quam primum servitutem imposituros: his artibus plerosque in India reges oppressos ab illis fuisse, suis regnis exutos, vel certe coactos tributum pendere; quorum ipse exemplo doctus nisi consulat rebus suis, sensurum brevi, sed nimis sero, Lusitanos graviores amicos esse, quam hostes. Hæc mortalium pessimi tam alte in Regis animum demiserunt, ut ille natura meticulosus & suspicax legationem, nulla re confecta, dimiserit. Tamen, ut honestè facere videretur, leges pangendi foederis dixit, quas pro certo habebat admittendas non esse, quippe indecoras nomini Lusitano, imo etiam impias. Erat in iis primo, ne cui Lusitanorum liceret cum Macassarensibus verbum facere de Christi cultu. Deinde, ut si quis forte indigenarum Christianam suscepisset fidem, eum Lusitani regis magistratibus ad supplicium traderent. Quæ cum nec admitti ullo modo, nec audiri sine stomacho possent, abiit legatus, & secum avexit Azevedum, qui ægrotabat iterum, non sine suspitione veneni per fraudem dati.

Ferreira interim, transiturus ad regnum Bimæ, venerat, uti diximus, in Soloriam insulam. Erat ibi in statione classis Lusitana, cujus præfectus Franciscus Fernandus, admonitus appulisse hominem Societatis, nullum in eo excipiendo genus officiorum prætermisit. Mirabatur homo militaris animi magnitudinem, alacritatemque viri apostolici, qua ad remotas, nec adhuc bene cognitatas gentes barbarorum, solo religionis propagandæ studio, properaret. Eum ad plures dies hospitaliter habuit apud se; cumque nulla esset facultas navis, biremim ad hunc unice usum instruxit, ut Ferreiram deferret. Discendenti autem munera nescio quæ, quibus conciliare sibi regem Bimensem posset, peramanter condonavit. Secunda usus navigatione Ferreira Bimam attigit, quo maxime tempore tres eo pariter advenerant è vicinis insulis Mahometicæ superstitionis interpretes, ut Bimensem, qui cultor Idolorum erat, ad suam sectam pellicerent. Nihil accidere poterat importunius virorum talium adventu. Pervidit incommodum ejus temporis Ferreira, sed tamen animum non despondit. Excelsæ mentis viro, nullisque terreri difficultatibus solito, fiduciam addidere advecti per eodem ferme dies legati Prætoris Malacensis, qui hæc habebant à Prætore mandata, ut si daretur Regis alloquendi copia, ejus peterent amicitiam nomine Lusitanorum, cum eoque jus mutui commercii paciscerentur. Hanc occasionem suam ratus Ferreira, ad Regem ingreditur cum legatis, usitata salutationis officia peragit, munera, quæ secum offerenda detulerat, ante ipsius oculos, & procerum explicat. Tum longam orationem exorsus, demonstrare incipit, quanto præsidio Bimensibus, eorumque Principi futura esset societas Lusitanorum, gentis ubique clarissimæ, & jam toto orientis oceano dominantis. Nam quos accolarum regum ausuros posthac ei bellum inferre, quem scirent Lusitanorum socium esse, ac foederatum? Quas non existituras ex tam splendida amicitia in rem publicam utilitates? Cæterum, non a Lusitanis, sed a summo cœli terræque Domino legatum adesse se; nec alicujus terreni regis, sed veri atque immortalis Numinis amicitiam Bimensibus offerre. Se divinam ejus legem explicaturum, se felicitatis æternæ viam tutam atque unicam errantibus commonstraturum. Hæc copiosius pro rei magnitudine differentem barbarus vix attendit, totus in contemplatione munerum defixus: nec vero responsum ullum dedit, sed daturum promisit in diem posterum. Interim dimissi cum Ferreira legati, redire jubentur postredie. Hoc medio tempore responsum concepit barbarus, quale nulli venisset in mentem expectare: adeo fuit stoliditatis & amentia plenum. Sibi nec Mahomete opus esse, nec Christo, siquidem videret utriusque cultores, peræque ac cæteros, esse mortales. Ferreira parabat de animarum immortalitate dicere; sed loquentem interfatus ferociter Rex: Tibi vero, inquit,

To. I.

X

jam

91.
Nulla re confecta dimittitur, simulque excedit P. Azevedus.

92.
P. Ferreira transit in regnum Bimæ.

93.
Ingreditur ad Regem cum legatis Lusitanis.

94.
Stolidum Regis responsum ad orationem Ferreiræ.

jam nunc regni mei finibus interdictum esto: & vide sis, ne te lux crastina in hac urbe commorantem inveniat. Cessit necessitati vir prudens, remissaque Præfecto classis biremi in Soloriam insulam, onerario navigio Malacam solvit: parum sane latus exitu expeditionis suæ, sed tamen laudandus æque, ac si negotium feliciter confecisset.

95.
Mors P. Emmanuelis Acoſta, ejusque vaticinium.

Magnam Indiæ citerioris partem affligebat hoc tempore sava morbi vis, cujus pauci erant expertes, licet plurimi convalescerent. In collegio Bazainensi morbo tentati sunt Patres ad unum omnes. Solus occubuit collegii rector Pater Emmanuel Acoſta. Ejus vero mors memorabilis, cum ob vitam præclare actam, tum maxime quod eo vix mortuo nonnulla contigerunt, quæ vivens & valens prædixerat eventura. Auditus sæpe fuerat Acoſta cum diceret, imminere miseræ civitati diras calamitates, poenas scilicet criminum, quibus laceſcere cœlestes iras non cessaret: se tamen eas nequaquam visurum. Id in privatis colloquiis, id publice pro concione dicere consueverat, tunc præsertim, cum ab extremo die propius aberat. Instinctu plusquam humano locutum senserunt modo Bazainenses. Vix elatus fuerat, cum nigrescere coepit atris nubibus coelum, crebris ignibus intermicantibus: mox insolita procella vis cum ingenti fragore dejici. Sub noctem coorto vento vorticoso, quem typhonem appellant, mare totum inhorruit, egitque in eam altitudinem fluctus, ut cives metu exanimis urbem crederent eluvione absorbendam. Stabant ad littus in anchoris onerariæ plures, plenæ commeatum. Omnes vis tempeſtatis contractas contritæque demerſit, magno, ac publico multarum urbium damno, quæ spem annonæ in illis navibus habebant repositam. Nec vero mitius terræ, quam mari turbo ferus incubuit. Ædes, cum intra urbem, tum in agro passim, ventorum impetu dejectæ sunt, aut laxatis murorum compagibus factæ ad habitandum inutiles. Franciscanorum, & Augustinianorum cœnobita funditus corruerunt. Tria maxima urbis templa, itemque domus, & ædes Societatis, vastato tecto, rimas egerunt vix reparabiles. Sed nihil nec aspectu foedius, nec jactura gravius strage palmarum, quibus abundat regio. Earum multa millia radicibus evulsa fuerunt. Quædam violentia ventorum, ut plumæ leves, per aerem circumlata, ac procul devecta. Omnino speciem agnosceres futuri sub finem temporum excidii omnium rerum. Tanaam quoque, urbem non longe positam, calamitas attigit. Patres collegii Tanaensis, ut favere tempeſtas coepit, uno quasi spiritu acti in sacram ardem convolaverant, pacem superum oraturi. Pieras saluti fuit. Dum ibi simul in precibus pernoctant, ruinam duxit disjectum a fundamentis domicilium, oppresso nemine. Ædificiorum vastitatem excepit paucis post mensibus tanta annonæ gravitas, ut propalam liberi a parentibus venundarentur, & Mahometanis institoribus pretio traderentur. Non tulerunt immanitatem nostri; & quamquam magna rei familiaris angustia perinde ac cæteri laborarent, partim de sua tenuitate rescantes quod egentibus largirentur, partim opulentiorum liberalitatem implorantes, probrosam nundinationem prohibuerunt. Secundum hæc Tanaæ simul, & Bazaini magna est animorum conversio consecuta. Tot enim attriti cladibus cives, sua singuli conscientia interprete intellexerunt, voces eas esse irati Numinis, quibus ad poenitentiam criminum vocabantur. Confluere proinde ad Sacerdotes coeperunt perfusi lacrymis, ut de criminibus confitentes audirentur: quo demum qualemcunque fortunarum jacturam egregie redemit pietas per eam occasionem excitata.

96.
Atrox terra marique clades Bazaini.

97.
Par infortunium Tanaæ. Nostrorum charitas, & fructuosus labor.

98.
ACTA IN ÆTHIOPIA.
Imperator nondum audent palam se pro catholico gerere.

99.
Cela-Christus catholicam fi-

In Æthiopia, post lætam illam fortunatamque victoriam, de qua anno præterito dicebamus, Imperator compositis rebus, & pace supplicio perduellium sancita, majorem in dies spem catholicæ fidei constabiliendæ ostendebat. Sed quamquam privatim Romano Pontifici sacramentum obedientiæ dixisset, nondum audebat tamen abrumpere religionis commercium cum Alexandrinis, & mysteria Romano ritu palam suscipere; tunc primum facturus, cum auxiliarem, quam expectabat, manum Lusitanæ militis accepisset. Has ferre moras noluit ejus frater Cela-Christus. Quos habuerat veræ fidei magistros, eosdem sacrorum mini-

ministros publice habebat, nullo cuiusquam rei respectu, nullo metu deterritus ab aperta professione catholice religionis. Quin sacro effervescentis ardore, curabat præterea ut idem in Gojamenli regno facerent omnes, maxime vero monachi, & viri nobiles, quorum magnam esse in populo auctoritatem videbat. Multos utriusque ordinis pellexit ipse, ut dogma Romanum amplecterentur. Multo tamen plures absterruit difficultas ex insolubili vinculo Christiani matrimonii orta. In eam videlicet inficitiam paulatim prolapsa gens erat, ut conjuges matrimonia semel inita fere pro arbitrio dissolverent. Jus sumplerat Patriarcha Alexandrinus cognoscendi causas, ob quas male inter conjuges conveniret: si autem viderentur idoneæ, potestatem illis faciebat scindendi priores nuptias, & alias contrahendi. Id hætenus usurpatum cum fuisset, inde multis obex oriebatur sane gravis, ne ad catholicas partes transirent. Nam nec conjugia sic male soluta repeti sine maxima difficultate poterant, uxoribus alieni tori jam factis; & vivere in calibatu, id genti difficillimum. Quibus vero neutrum ex his persuaderi poterat (& erant sane multi), ii quantumvis enixe communionem sacrorum peterent, ad meliora tempora differebantur. Caterum Imperator suæ in rem catholicam voluntatis novum hoc anno documentum præbuit. Hætenus nostri rem divinam fecerant in ædiculis ex palea structis (qui unicus erat in Æthiopia ædificiorum modus), humilibus, angustis, denique tuguriis verius, quam templis. Jam vero pius Princeps, auditis quæ subinde Patres narrabant de Europæis basilicis, earumque magnificentia & splendore, desiderio incensus est simile opus moliendi. Res erat admodum difficilis in ea terra, ubi nullus inveniebatur, non dicam architectus, sed neque cæmentarius, neque lapicida. Tamen P. Pæzius, cui commissa ædificii cura, ut erat singulari solertia, aliquid sibi in eo genere conandum statuit. Locum aptum designat in ampla planitie, prope Gorgoranam stationem. Æthiopes aliquos, quorum erat quidem summa imperitia, sed par docilitas, & laboris patientia, docet secare lapides, dolare ligna, calcem & cæmenta disponere ad lineam & perpendicularum. Postremo admoventi operi manus jubet. Primus templi lapis cum insigni cæremonia iactus est, præsentem Imperatorem, ac tota regia familia. Certante deinde, ac festinante operarum magno numero, ad fastigiumeducta est moles pro loco non inelegans, & quam nec Europæi contemnerent.

Gratum id accidit Patribus. Illud tamen multo gratius, quod eodem tempore novus ad excolendum apertus est ager, licuitque statim ex eo fruges uberes ac felices legere. Ad fines regni Gojamenlis, qua vergit in occidentem, solem, circa fontes Nili ampla excurrit regio, patens in longum millia passuum fere sexaginta, lata circiter viginti, quæ licet maxima sui parte montuosa, fertilis tamen est, & amœna. Planitiem crebri aquarum rivi a summis montium jugis decurrentes secant, aluntque humoris copia latus in agris segetes, præsertim millii. Dorsâ montium ingentes silvæ convestiunt, densis & proceris arboribus consistæ. Non desunt uberrima pascua, unde pecorum aluntur immensi greges, magno proventu, quem augent apiaria plurima, & valde quaestuosa: melle enim potum sibi parant Æthiopes, eoque inopiam vini supplent. Totam illam oram tenent natio barbarorum, quos Agaos nominant, lingua, moribus, & cætero vitæ cultu longe ab Æthiopibus abhorrentes. Tempore de quo scribimus, non alia re magis diversi erant, quam religione. Videbantur illi quidem unum cœli terræque conditorem agnoscere, quem sua lingua *Doban* vocabant, nec artefacta colebant ulla. Tamen idololatriæ crimine non vacabant. Nam & capita fontium, & certi generis arbores divinis honoribus prosequabantur, ac præter alias miseræ superstitionis insanias, magicas mirabantur maxime, & in pretio habebant artes, quippe humani divinique juris profusus indocti; non indociles tamen, si fuissent per quos docerentur. Sed Æthiopum monachi, penes quos tantum erat dignitas munusque sacerdotii, unice de arcenda catholica veritate solliciti, de ethnicis ad Christum adducendis curam gerebant nullam, reliquerantque hætenus illam soli partem

To. I.

X 2

pror-

dem & profite-
tur palam, &
promovet.

100.
Difficultas mu-
tandæ religionis
ex nuptiis male
solutis.

101.
Novum extrui-
tur templum,
opere cæmentari-
o.

102.
Quæ natio sint
Aga, & qui-
bus moribus vi-
vant.

103.
Agai ab Imperatore Æthiopiae insigni clade attriti.

104.
Deprecatorem adhibent P. Paezium ad exorandam pacem.

105.
Et locum apud se nostris hominibus pollicentur.

106.
Ad Agaos proficiscitur P. de Angelis. Veneficorum artes ad eum excludendum.

107.
P. de Angelis inter Agaos confidet, & fru-ctuosè laborat.

prorsus incultam, Erant Agai ex antiquo fœdere tributarii Æthiopiæ, sed jamdiu nihil pendebant, & quasi longa contumacia immunitatem essent adepti, exactores regii vœstigialis arcebant procul, ac propulsabant. Ipsum quin etiam Imperatorem tributum bello repetentem sæpe repulerant. At novissime Seltanus, eorum fines cum infesto exercitu ingressus, tantam illis intulerat cladem, ut si victoriæ cursum prosequeretur, debellare sine dubio posset, hinc apud Agaos, ut in rebus desperatis, summa trepidatio. Etsi enim Imperator quieverat paululum, & in hyberna concesserat; imminabat tamen cum victricibus copiis, deliberatum habens prodire in aciem denuo, vere proximo ineunte. Una miseris relinquebatur salutis spes, placare, si quo modo possent, iratum Principem, prius quam ad extrema descenderet. Quarentibus deprecatorem idoneum significatur, apud Seltanum valere plurimum auctoritate & gratia Patrem Paezium, neque hunc recusaturum eorum causam suscipere, virum quippe insigniter probum, & cunctis mortalibus benefacere solitum. Nec mora. Quosdam de suis primoribus ad Paezium legant, summis apud eum precibus acturos, ut genti Agaorum pacem exoret a victore Principe. Id si fecerit, nec parvam facti gratiam apud se fore, nec se commissuros, ut beneficium immemores videantur. Sensit Paezium, pandi sibi divinitus ostium ad eam gentem Christo subjiciendam. Legatos igitur comiter exceptos sperare omnia de se jubet. Sui quidem moris non esse ab iis, quibus benigne faceret, quidquam præmii accipere; sed ab Agais accepturum perquam libenter: eos vero satis magnam, & optatissimam porro gratiam sibi relatuos pro beneficio, si vel sibi, vel uni è suis sociis potestatem fecerint diversandi apud ipsos: mentem suam esse docere illos sine pretio, quæ nosse eorum maxime interesset. Responsum ut audierunt legati, vix credibile quanta admiratione correpti fuerint. Perculit barbaros benevolentia species ibi nova, & ante illud tempus ignota. Re deinde in communi deliberata, & domum, & sacram ædem, & liberam docendi facultatem magistro Christiana legis pollicentur. Vicissim Paezium, ad Imperatorem ingressus, demonstrat quanta offeratur facultas propagandæ latius divinae fidei, quamque è re publica futurum sit, gentem bello egregiam novo, & sacro religionis vinculo cum Æthiopia conjungi. Orat proinde, supplices ne repellat, sed magis veterum oblitus injuriarum, paratos iussa facere in gratiam recipiat. Oranti minime se difficilem præbuit Imperator. Vera dici sensit, iracundiam deposuit, nullaque interjecta mora ministros misit, qui cum legatis Agaorum de conditionibus fœderis paciscerentur.

Rebus hoc modo compositis, nequaquam ad Agaos iit Paezium, prohibitus ab Imperatore, qui ægre carere tam caro capite sustinebat. Ejus loco profectus est P. Franciscus Antonius de Angelis, qui Colela cum resideret, ab eorum finibus proxime aberat. Dum subit Ancaxam, oppidum regionis primarium, credi vix potest ut commoti ejus adventu sint venefici, qui nimio plus ibi frequentes inveniebantur, quotque artes ad eum submovendum adhibuerint. Præter alia nequiter & maligne confecta, serunt in vulgus, Sacerdotes Christianorum homines esse diabolo mancipatos, veneficiis & cantionibus deditos, mille nocendi artibus instructos. Pecora, si velint, carminibus sistere, ut moveri non possint nisi post eos, quibus abigenda permittant. Quos oderint, eorum aliis lumen oculorum eripere, aliis artuum stuporem immittere, alios ad insaniam adigere. Si vel unus eorum in urbe sit, nihil ab ejus præstigiis tutum nihil saluum fore: non fortunas, non liberos, non uxores, non eam ipsam, qua superum beneficio fruerentur, communis lucis usuram. His vocibus scelerati plebem credulam tanto affecerunt terrore, ut excludendum oppido censerent plerique Patrem, nulla habita ratione pactorum, quæ legati fecissent. Sed re maturius discussa, vicit quæ etiam apud barbaros sancta est promissorum fides: nisi forte graviolem ipsis quam venefici metum injecit propinquitas Imperatoris, qui suam duceret injuriam Sacerdoti irrogatam, nec inultam dimitteret. Quæcunque fuerit ratio, Ancaxæ P. de Angelis exceptus est cum honore:

nore: domus eidem, & in usum sacræ ædis fanum nescio quod traditum. Nee multo post usu ipso agnoscentes indigenæ, falsa esse quæ de Christiano Sacerdote jactata fuerant, se suosque liberos illi erudiendos præbuerunt, multi etiam baptismo consignati fuerunt. Sed de his dicemus alibi opportunius.

Nunc ad provinciam Malabaricam properantibus occurrit missio Madurenfis, materia, quam scitu digna, tam plerisque parum cognita, licet ob controversias, quæ secutis temporibus ortæ sunt, pervulgata. Earum controversiarum nos prima veluti semina, quæ per hoc tempus concredebant, explicanda suscipimus, quæ in nostris litteris reperiebamus cum fide exponentes, nudamque ac simplicem factorum narrationem historico more instituentes, ne illustribus monumentis fraudemus historiam. Madura civitas est oræ Piscariæ, cognominis regni caput, in ea parte Asianæ cis Gangem peninsulæ, quæ orienti soli, & regnis Bengalano, ac Peguano objicitur. Ibi christianam religionem nova quadam ratione propagabat P. Robertus de Nobilibus, gente Italus, patria Politianus; seque totum ad regionis mores, quantum sinere pietatem existimabat, accommodans, indigenas sibi, & Christo conciliare studebat, ut in quinta parte historiæ fufius narratum est. Quia tamen Indorum aliqui ritus, & cæremoniæ ab eo susceptæ & approbatæ, videbantur theologis quibusdam domesticis non expertes superstitionis, illos habebat sibi vehementer adversos. Inde gravis orta contentio, quæ tamen initio extra privatos Societatis parietes non erumpebat. Effudit paulatim sese etiam ad externos: sed cum Patris Nobilii causam defensionemque suscepissent, hinc Archiepiscopus Goanus, inde Cranganorensis, quorum eruditio, experientia, probitas omnibus perspecta; nemo urgere vehementius litem audebat, quæ tam integris iudiciis, tam peritis patronis nitebatur. Interim, aspirante consiliis bona mente susceptis Deo, miros in sterili prius solo fructus christiana fides & pietas efferebat. Pacem religioni necessariam conversio rerum inexpectata perturbavit, cum Philippus III. Hispaniæ tunc, & Lusitaniæ Rex Alexium Menesium Goanum Archiepiscopum in Europam evocavit. Gravis India toti accidit egregii Præsulis discessus, cujus exemplis & doctrina religio potissimum stabat: gravissimus Madurenfi missioni, quæ se orbatam potenti patrono vidit. Ut enixius desideraretur fecit ejus successor, vir ille quidem probus, sed a Societate nostra, & ab Archiepiscopo Cranganorensi Francisco Rozo, nescio quibus de causis, alienior. Id cum probe intelligerent Goæ qui Nobilio adversati vehementius fuerant, novum Præsulem sinistris in illum suspitionibus incendunt. Religionem ab eo secedere perturbatam criminantur, inductam superstitionem, sanctissimas ecclesiasticæ disciplinæ leges violatas. Quibus inflammatus Præsul, P. Andream Palmerium Societatis in India Visitatorem arcessit, & multa de Nobilio conquestus, delibatum sibi esse renunciat controversiam de moribus quibusdam Madurenfibus in jus vocare, partis utriusque rationes & argumenta cognoscere: datum sibi a summo Pontifice negotium indagandæ veritatis, ut ea demum explorata, sententiam ferre Apostolica sedes possit. Curabis igitur, inquit, quamprimum huc evocandum P. Nobilium, ut in medio theologorum consensu libere ac fidenter verba faciat. Ad hæc Visitator, nihil moræ futurum respondit, quin adesset Nobilius: notam sibi hominis virtutem ad omnes eventus paratam; ac si quibusdam minus probaretur nova ratio prædicandi Evangelii ab eo suscepta, ejus certe obedientiam ac modestiam omnibus probatum iri.

Erant adhuc non pauci è nostris Goæ, qui sibi persuadebant, è re religionis fore, ut Evangelii prædicandi munus Nobilio penitus abrogaretur. Illi, postquam rescitum est quid Archiepiscopus præcepisset, Palmerium aggrediuntur, eique suos de Nobilio sensus inspirant. Onerant immerentem impietatis, ac superstitionis invidia: ut contumacem, & in prava opinione per superbiam obfirmatum describunt. Quibus sermonibus ita circumventus est Visitator, ut Nobilii mentionem ipsam auribus animoque respueret. Illum interim admonendum curat, ut Goam primo quoque tempore se conferat, defensurus nutan-

tem

108.

RES PROVINCIAE
MALABARICÆ.
P. Robertus de
Nobilibus no-
vum genus mis-
sionis instituit
inter Maduren-
ses.

Lib. XVIII. n. 46.

109.

Favent illi Ar-
chiepiscopi Go-
anus, & Cran-
ganorensis.

110.

Novus Goæ
Archiepiscopus
suis imbu-
tur suspicio-
bus contra No-
bilibium.

111.

Eumque ad se
vocat, ut in
consensu theo-
logorum causas
dicat.

112.

P. Palmerius
provinciæ visi-
tator contra e-
undem incita-
tur.

113.
P. Nobilius
Goam contendit cum Archiepiscopo Cranganorensi.

114.
P. Palmerius
visitator ex adversario fit Nobilii fautor.

115.
Alii similiter
adversarii mutantur.

116.
Conventus
Theologorum
habetur Goæ.
Quod esset tunc
controversiæ caput.

117.
Nobilis rationem
reddidit sui
instituti, & ad
objecta respondet.

tem causam, ac fortasse sententiam contra se ferendam auditurus. Nuncio vulneratus graviter Nobilius, non tamen dejectus est. Mentis optimæ conscientia, Deoque fidens, missionem omnem, & curam Neophytorum P. Antonio Vico sodali suo commendat: ipse ad Archiepiscopum Cranganorensis contendit, Goam inde petiturus. Huic præfati parebat Ecclesia Madurensis, eaque propter caverat diligenter Nobilius, ne quid eo non consulto susciperet; hunc merito arbitratus divinæ voluntatis interpretem certissimum, tum quia pastorem gentis à Deo constitutum, tum etiam quia rerum Indicarum & consuetudinum longo usu peritissimum. Vicissim Archiepiscopus Nobilii consilia omnia probaverat majorem in modum, dolebatque Goanum antistitem de causa tanti momenti, quam nunquam præsens cognovisset, deterius sentire. Illum ut dedoceret, omnia collegit argumenta, quibus ductus Nobilio auctor fuerat istius viæ præter communem consuetudinem ineunda. Addidit argumentis testimonia, non è vulgo sumpta, sed e præcipuis Indiæ doctoribus. Demum Goam cum ipso Nobilio proficiscitur. Subeuntem Nobilium visitator Palmerius, non comiter, ut cæteros solebat, sed moesto, ac minaci vultu accepit, vixque salutatum deferuit: ex quo Nobilius intelligens, occupatum sinistris rumoribus Visitatorem esse, nec sibi datum iri longioris sermonis copiam, scripto convenire statuit, quem voce non poterat. Libellum igitur à se confectum illi offert, valde rogans ut eum legere ne gravetur. Pervolutat illum Palmerius contemptim prius, nec sine fastidio: at nonnullis, quæ cursim præterierat, percussus, opusculum evolvit denuo, atque attentius. Quid plura? Miratur, mutatur; & ad Nobilii cubiculum accurrens: Ignosce, mi Pater, exclamat, quod te aliter ac debebam acceperim. Deceptus fui scilicet, & hætenus in tua causâ nihil vidi. At oculos tandem aperio, & ex hoc tuo libello plane intelligo, optimam esse quam tueris causam. Idem, spero, sentient quicumque illum legent, totque habebis domi posthac patronos, ac defensores, quot habuisti hætenus adversarios. Haud secus atque ille prædixerat accidit. Lucubratione per manus tradita, sententiam mutarunt Patres Goani collegii omnes ad unum; quique Nobilium antea ex aliorum duntaxat relationibus cognitum damnaverant, ejusdem exinde partes miro consensu amplexi sunt. Ex duobus fidei Quæstoribus, lecto Nobilii scripto, unus neutrarum partium se futurum dixit, cum esset illi antea palam adversus. Alter vero (erat is Joannes Franciscus Almeida) reliquit aperte Goanum Archiepiscopum, a quo steterat hætenus, & Nobilii defensoribus se adjunxit. Solus flecti non potuit Archiepiscopus, cujus demum jussu doctores ac theologi, partim ex religiosi ordinibus, partim e corpore Presbyterorum, unum in coetum collecti sunt. Acta illius consultationis mox exequemur: prius tamen quod esset disceptationis caput præcipuum, breviter est indicandum.

Erat tunc controversia admodum simplex: nondum enim in tot tamque varia, quæ consecutis deinde temporibus pullulaverunt capita, succreverat; nec illi ritus, de quibus post annos ferme octoginta cognovit apostolicus Visitator Carolus Thomas Turnonius, postea Cardinalis, quosque nuper Benedictus XIV. Pontifex maximus apostolica constitutione damnavit, si unum alterumve excipias, fuerant adhuc in disputationem adducti. Tantum ambigebatur, an usurpari salva religione possent insignia quædam moresque Brachmanum, & Sannassiorum, quorum primi præcipuæ nobilitatis homines sunt in regno Madurensi, alteri pietatis studium peculiare profitentur. Namque ea signa Nobilius, non solum neophytis permittebat suis, verum etiam ipse in indumentis, ac cætero vitæ cultu assumpserat, ut auctoritatem Evangelico ministerio conciliaret apud eam gentem, cui hæc duo in pretio longe maximo sunt, nobilitas, & austeritas vitæ. Signa erant præsertim tria, Linea, Codumbus, & Sandalum, de quibus infra. Prodiit ergo in confessum Nobilius, & rationem instituti sui gravi & proluxa oratione reddidit. Finem dicendi fecerat, cum assurgens innuente Archiepiscopo theologus: Quid fuit opus, inquit, novum isthuc vivendi

ge-

genus, & brachmanicum cultum assumere? Annon satis erat argumenta ethnicis, quæ veritatem religionis ostendunt, proponere? docere illos verbo, & exemplo? Fuisset eorum culpa, si suis in tenebris hærerent, quam oblatam lucem, sequi maluissent. Sane factum istud oportuit, respondit Nobilius, si modo fieri potuisset. Verum ita comparati sunt Indi Madureses, ut solis nobilibus auctoritatem & jus docendi tribuant; Europæos vero, nisi ad hanc nobilitatis formam componant sese, differentes ferre non possint: vile scilicet hominum, ut putant, genus, infame, impurum, urbanitatis omnis, imo & religionis expertus. Pranguos propterea, quasi capite cæcos, & hominum despiciatissimos vocant. Vident enim illos, non solum carere his nobilitatis insignibus, verum etiam cum Pariis, face populi, versari familiariter, cibos honestissimo cuique vetitos adhibere, aspernari multa, in quibus positam honestatem, ac decus vitæ civilis arbitrantur. Inde factum, ut nostros homines per diu neque congressu, neque alloquio dignos putaverint. Quod si contingeret, ut eos aliquando loquentes audirent, mox tanquam gravi piaculo contaminati, corpus aqua purgabant. Erat itaque omnis aditus Evangelio oclusus, æternumque claudendum, nisi alia ejus prædicandi ratio institueretur, nisi deleteretur infamias illa, quam Europæo nomini affingebant, labes; nisi denique divinæ religionis propagatores, & administri gentis civiles mores, nobilitatemque, quatenus salva pietate licet, induerent. Omnibus omnia factus est Paulus, ut omnes faceret salvos.

Recte, subjecit theologus, si salva pietate usurpari mores ethnicorum potuissent. Sed quis eos superstitione inquinatos esse non videt? Non vidit Alexius Menesius, cujus qui appellat nomen, probitatis & doctrinæ nomen appellat, inquit Nobilius. Non vidit qui adest coram Archiepiscopo Cranganorensis, rerum Indicarum longe scientissimus, quo inconsulto nihil suscepi. Non viderunt ipsi Brachmanes, tum ethnici, tum christiani, quorum testimonia & chirographa penes me habeo, quique una voce contestantur, in istis moribus & insignibus nihil esse quod religionem spectet, meras esse nobilitatis, & civilis honestatis notas. Non viderunt theologo complures, quorum est vobis pietas & eruditio perspecta. Quos autem, obsecro, debui duces sequi, quos audire doctores, nisi Primate India, nisi meum Antistitem, nisi doctiores indigenas, & religionum Indicarum interpretes, nisi theologiam, & fidei christianæ magistros? Fieri tamen id potuit mitiori quadam via, reposuit alius ex ordine religioso theologus; neque fuerat necesse insanam illam Saniassiorum austeritatem adoptare, quæ præcones Evangelii minus robustos deterrebit in posterum, & ostium religioni perinde claudet. Quis enim reperietur, qui vitæ genus adeo durum amplecti, præter te, velit, aut possit? Ego vero, inquit Nobilius, confido, ex ipso tuo ordine plures fore, qui divinæ gloriæ & salutis animarum studio nihil difficile, nihil durum existiment. Pudeat nos id æterni præmii spe non perferre, quod isti Saniassii gloriolæ, aut lucri cupiditate ducti, tam libenter, ac tamdiu perferunt. Cæterum nisi hæc suscipiatur austeritas, frustra erunt Evangelii ministri. Ridebunt Indi, quod ex ipsis audiui non semel, ac dicent, religionem suam multo esse nostra sanctiorem, quippe quæ doctores habeat voluptatum, opum, & omnis humani commodi splendidos contemptores. At enim, inquis, eorum culpa erit, & damnum, si propterea, doctrinam cœlestem respuant. Culpa certe illorum, ac pernicies erit: at simul erit apostolici viri dolor, cui cara salus animarum, si eas perire videat, quas aliquo suo incommodo servare potuisset.

Nobilium ita perorantem, & varios ex epistolis Pauli proferentem locos, interpellavit alius sacri ordinis religiosus; & in Saniassiorum Maduresium vestem, quam P. Nobilius gestabat, joculari illiberaliter aggressus: Non legimus, inquit, Christum Dominum ea veste usum, quam tu induisti. Neque Christum accepimus, retulit Nobilius, istam gessisse vestem, quam tu geris. Mutare vestem nihil vetat, ubi agitur salus animarum: atque ita visum fuisse sum-

118.
Ostendit se nihil temere in hoc negotio suscepisse.

119.
Solvit difficultatem ductam ab austeritate vitæ.

120.
In veste Saniassii nihil esse quod reprehendi debeat.

121.
Nihil esse su-
perstitiosum in
linea, & co-
dumbo.

122.
Hæc fuisse in
Goanis synodis
damnata, nihil
referre.

123.
De sandalo
& lavationibus
Madurenſium.

124.
Quæ fuerint
Theologorum
ſententiæ.

ſummis Pontificibus, ipſorum litteræ, & annalium monumenta teſtantur. Quam-
diu noſtri homines in regno Madurenſi ſolita Societatis veſte uſi ſunt, nullus
eos putavit audiendos, jacuitque contempta, & ſine honore religio. Ex quo
Saniaſſiorum indumenta in me conſpexere, ſponte omnium aures animique
patuerunt. Paſtorem ultro ſequuntur oves, quem ſuo vellere amiſtum cernunt.
Satisfecit erudito cœtui hæc oratio. Verum alius, quaſdam illius indumenti
partes nominatim carpens, peculiarem quaſtionem movit de Linea, & Codum-
bo. Eſt Linea ornamenti genus, quo utuntur Brachmanes, alique in nobilem
aliquam adſcripti caſtam, ſive claſſem: plures enim in claſſes dividitur nobili-
tas Madurenſis, quarum dignitate ac ſplendore prima eſt brachmanica. Conſtat
e variis funiculis inter ſe conſertis, qui collo appenſi, a ſiniſtro humero per
dextrum latus recurring, in modum baltei. Codumbum vocant capillos in
ſummo capite artificioſe contortos; idque proprium eſt Saniaſſiorum inſigne.
Jam ergo audivi, ait ille, Brachmanes idolorum eſſe ſacerdotes, lineam brach-
manicam eſſe ſacerdotii inſigne, Negavit ita rem ſe habere Nobilius, & eos
a quibus id affirmaretur, graviter hallucinari docuit. Nullam eſſe propriam
Sacerdotum veſtem apud Madurenſes. Ornari linea Rajas, Comatas, alioſque
nobilis caſtæ viros, licet nihil affine ſacerdotii habeant, quippe milites, merce-
tatores, & profanis id genus muniis addictos. Atqui Lineam & Codumbum,
ſubjecit alter, ſcimus in Goana fuiſſe ſynodo condemnata. Cui Nobilius, ſe
quidem decreta ſynodi illius, & eos a quibus fuerant condita, venerari pluri-
mum; ſed illos tamen ita de iſtis rebus judicaſſe, uti fuerant iſtis expoſitæ.
Conſultos tunc fuiſſe Brachmanes in Salfettis degentes inſulis, mercatores potius
quam Brachmanes, qui Madurenſium librorum ac litterarum ignari, omnia
e ſuo ingenio, non ex rerum veritate retuliſſent. Hoc liquido perſpici e Brach-
manum Madurenſium teſtimoniis, quæ litteris excepta proferbat. Deinde
oratione ac vultu converſo ad Sacerdotes, qui cum Alexio Menefio nuper Go-
ano Archiepiſcopo verſati fuerant, quique commodum aderant in conſeſſu: Ne-
mini veſtrum, inquit, latet, vocatos ſeorſum fuiſſe ab Alexio Brachmanes
præcipuos, qui teſtimonium in Goana ſynodo dixerant: eos autem preſſius,
& accuratius interrogatos, cum ſibi ſatis non conſtarent, ad extremum pro-
nunciaſſe, ſibi parum cognita iſthæc eſſe, quippe inter Luſitanos educatis, &
ab ora Piſcaria longiſſimè diſjunctis. Et meminiſtis, credo, auditum ſæpe eſſe
Alexium cum diceret, in iſtis cæremoniis, ac præſertim in brachmanica linea,
nihil ſuperſtitionis hæere: quod adeo certum putabat, ut viros principes duos
linea inſignitos ſalutari lympha abluerit, & illa pariter ornatum Calecutani
regis nepotem ſacro chriſmate confirmaverit. Poſtremo actum eſt loco de San-
dalo, quo velut pigmento ſibi frontem perungunt nobiles Madurenſes, ac de
lavationibus, quas ſane crebras per diem uſurpare ſolent. Innoxia hæc eſſe
contendebat Nobilius. Si quid enim præter ſimplicem uſum earum rerum ſu-
perſtitioſe fieret ab aliquibus circa tempus, modum, aliaque adjuncta; at non
neceſſario fieri, neque ab omnibus, minime vero a Chriſtianis. Sandalum ad
merum ornatum allini fronti, quo prorſus modo Europæi pulvere odorato con-
ſpergunt comam. Lotiones ad ſolam corporis munditiem ſpectare, & conſulto
omitti interdum a Neophytis, ne viderentur in iis adhibendis, quemadmodum
de ethnicis tradebatur, reſpectum habere ad religionem.

His ita peractis, Archiepiſcopus colligere cœpit ſuffragia, primosque loqui
juſſit Patres Societatis. Omnium una fuit vox, ſe quidem antea, re nondum ſatis
cognita, Nobilii ſententiam privatim ac publice reprobaſſe: at nunc, cauſa peni-
tus explicata, aliter opinari, & religioni ſibi ducturos, ſi pergerent ejus inſtitutis
obſiſtere. Aliorum ordinum theologi, partim Archiepiſcopo ſubſcripſerunt,
partim profeſſi ſe ſtatum cauſæ ignorare, ſententiam ſuſtinerunt. Ex duobus
fidei Quaſitoribus unus, tametiſi neutram in partem valde inclinaret, tamen in
Archiepiſcopi ſententiam ivit, eo tantum ſe moveri teſtatus, quod verebatur
ne offenderentur Salfettani Brachmanes, ſi quæ negata iſtis fuerant, concedi

viderent Madurensibus. Alter, præfatus sibi semper antea Nobilii causam displicuisse, nunc auditis ejus rationibus, probari ait in tantum, ut gravissimo sibi daturus esset sceleri, nisi secundum ipsum pronunciaret. Presbyterorum plerique, Archiepiscopi tantummodo vultum atque oculos in pronuncian- do intuentes, contra Nobilium sententiam dixerunt. At tamen ex illis, qui octo erant omnino, duo ingenue professi sunt, nullam se unquam operam theolo- giæ studiis dedisse. Ultimo dicturus loco erat Archiepiscopus Cranganorensis. Vir senio, atque inedia debilitatus Primatem rogavit, concilium ut sibi daret in diem crastinum. Negavit ille judicium differri posse, aut debere. Tum ab- reptus, ut ipse affirmabat, studio religionis, contentiore voce in Nobilium invehi: Christi crucem, non ethnica nobilitatis insignia viro Apostolico conveni- re; nec vero lineis, aut capillis ad brachmanica superbia normam intortis, sed prædicatorum sanguine propagari christianam fidem. Quæ, & similia locutus, discedebat. Abeuntem secuti sunt Presbyteri, ac vix tandem summis precibus exorare potuerunt, ut ad audiendam sententiam Archiepiscopi Cranganorensis concilium in diem posterum restitueret. Iterum ergo consedit coetus postridie. In eo coetu Cranganorensis, sermonem altius exorsus, hunc demonstravit jam inde ab Apostolorum temporibus fuisse morem Ecclesiæ, ut inter gentes quas sibi aggregasset, nihil moveret in eo genere rerum, quæ ad solam formam ordi- nandæ civitatis pertinentes, in diversis locis diversa reperiebantur: idque tum maxime servari consuevisse, cum apparebat, rudes populorum mentes ægre a talibus usurpandis abduci posse. Pluribus de hoc argumento scite ac luculen- ter expositis, præ manibus sumpsit Evangeliorum codicem, ac *Pro ea*, inquit, *quam habeo rerum Madurensium notitia, per sancte juro, signa illa, de quibus nunc agitur, nihil in se ipsis habere superstitiosum; nihil quod non tolerari possit, imo etiam debeat.* Talem ita loquentem virum, quem constaret rerum In- dicarum experientissimum esse, taciti respectabant omnes, atque ii præfer- tim, qui in contrariam opinionem prius descenderant. Sed cum pronunciasset Goanus Archiepiscopus, liberum esse, si cui aliquid occurreret, in medium proferre, coorti sunt in Nobilium aliqui ex adversariis, nec vero rationibus, sed conviciis impetere illum cœperunt. Nam quo tot honoris phaleras? quo spectare titulos, & ostentatam nobilitatem, nisi ut ambitioni serviret suæ? aut quod pretium operæ, nisi ut ethnicis persuaderet, indui posse novum homi- nem, veteri non exuto? Ad hæc Nobilius nihil contra, nisi quod conversus ad Archiepiscopum: Equidem, inquit, his & similibus parum moveor, probe mihi conscius, haud alio proposito venisse me Roma, quam ut Christum gentibus prædicarem. Errat profecto si quis me adeo dementem putat, ut cum adducere alios velim ad veram fidem, ab ea ipse desciverim. Nulla me nominis, nulla honoris ambitio movet, quarum rerum semel antea spe dimissa, desiderium in totum abjeci. Hæc alii sequantur, si quibus cordi sunt. Mihi summa votorum est in extremo terrarum angulo, post infinitos labores, vitam hanc pro anima- rum salute profundero. Nihil horum æquis accepit auribus Archiepiscopus: sed ad extrema verba, supra quam credi possit commoveri visus. Etenim quia mona- chum prima ætate professus, ferebatur (credo equidem falso), sed tamen fe- rebatur, haud profus sine ambitu ad insulas pervenisse; id sibi a Nobilio taci- te exprobratum putavit. Itaque dolorem non dissimulans, quiritansque sibi ab homine arroganti & inurbano convicium fieri, conventum dimisit. Falsam fuisse Archiepiscopi suspicionem testabatur deinde Nobilius, per sancte affirmans, nihil sibi auditum aliquando de tali re. Collecta post hæc omnium suffragia Archi- episcopus Romam transmisit mari, unaque Sacerdotem properare terra jussit, qui Pontificem, Cardinales, & Mutium Generalem contra P. Robertum de Nobilibus accenderet, imbueretque animos sinistris suspicionibus, quæ hærent altius, cum primæ sunt, & a præsentate jaciuntur. Sed quid Roma de istis re- bus decreverit, dabimus post annos tres. Utinam non aliæ subortæ essent post hanc contentiones, aut ejusdem saltem indolis & conditionis fuissent.

To. I.

Y

In-

125.
Archiepiscopus
Goanus acriter
invehitur contra
Nobilium.

126.
Archiepiscopus
Cranganorensis
pro Nobilio sen-
tentiam dicit.

127.
Conviciis impe-
tatur P. Nobi-
lius.

128.
Ejus oratio
ad Archiepisco-
pum Goanum.

129.
Qui offenditur
ob falsam suspi-
cionem.

130.
Et suffragia Ro-
mam transmittit.

131.
Res Sini-
cæ. Xinus fu-
rere pergit con-
tra Christianos
Nankini.

132.
Poenam impie-
tatis non unam
pendit.

133.
Eo demum
quiescente reli-
gio respirat.

134.
Libri editi
ad defensionem
Christianæ legi-
s, & Patrum.

135.
Christiani
juvenis pudici-
tia experimento
probata.

Interim in Sina, post favam illam tempestatem, de qua anno præterito dictum, respirare nonnihil cœperat christiana religio, & sin minus libertate pristina, tolerabili saltem conditione fruebatur. Fortunæ melioris initium fuit scelerati Xini poena, quæ non lento illum pede secuta est. Post ejectos, ut narratum est, Patres, gloriabatur improbus, sua tantum opera & industria excisam esse superstitionem ab ultimo occidente nuper in Sinas invecctam, ejusque ne ullæ superessent Nankini reliquæ, neophytos atrociter infectari pergebat. Sacram ædem evertit: domum Societatis vendidit: libros, imagines, monumenta reliqua Christianæ pietatis, ante palatii sui fores in cumulum congesta, combussit: divinam denique legem infami edicto proscriptis. His intentum tot, tamque acerbi affligerent casus, ut nisi esset omnino obcæcatus, cœlestem animadversionem ad liquidum videre debuerit, ac resipiscere. Conciliare sibi falsa numina studuerat vexanda Christi religione, ut prolem masculam dudum expetitam ab iis impetraret. Quo die pedem Nankino extulerunt Patres, filiam ejus unicam, spem domus, ac delicias parentis morbus invasit, Bonziisque omnibus frustra se discruciantibus, precesque ac sacrificia ingeminantibus, extinxit. Scripserat superbissimas ad Imperatorem litteras, quibus legem Christianam industria ac vigilantia sua depulsam ab imperio, & in suum retrusam occidentem significabat. Præmium ob eam rem, aut certe commendationem cum expectaret, ne responso quidem dignatus est: quo contemptu nullum est supplicium Mandarinum gravius. Præterea cum ambiret Colai dignitatem, ingentibusque donis, & pecunia munitus perrexisset in aulam, ut quod probitatis commendatione non poterat, nummis, & venali procerum gratia obtineret; repulsam tulit, oppressus odio publico, & crudelitatis infamia: quæ res adeo probrosa in Sina ducitur, ut quibus contingat, ii se statim abdicare magistratu soleant, satius arbitrantes honorum cursum abruptum, quam turpiter in ejus medio hærerent. Id ille quidem, ut erat perfricti oris, non fecit: sed tamen repulsæ ignominiam non ferens, secessit paulisper in patriam suam Hamceum; ubi tamen plures sciret versari Patres sub patrocinio Michaelis Mandarinum christiani, & celebrari cœtus neophytorum videret, ne hiscere quidem ausus est. Per hæc Christiani Nankinenses hoste crudelissimo, saltem ad tempus, liberati, pietatis pristinae studia placide ac tuto coluerunt. Qui vero remanserant in aliis imperii provinciis homines Societatis, ad solita se munia retulerunt; pari quidem atque antea alacritate, minore tamen pompâ strepituque, ne veluti redivivus, uti postea contigit, Xinus, aut alius Xino similis ad eos divexandos exsurgeret.

Ejus porro ad infringendos impetus nonnihil valuit libellus apologeticus, quem P. Didacus Pantoja, priusquam Pekino abiret, conscripserat. Vulgatum est ab Xini adversariis scriptum istud, quo cum impacta Societati crimina apertis rationibus refellerentur, recruduit apud plerosque invidia nefarii nebulonis, qui homines prorsus innoxios tam indigne crudeliterque vexasset. Ejusdem argumenti scripta alia super alia ediderunt Doctores Paulus, & Leo, tum ut diluerent conjectas in Societatem calumnias, tum vero, & maxime, ut sanctitatem divinæ legis assererent. Ausus quin etiam est Paulus libellum conscribere, in quo proponebat hanc Imperatori conditionem. Darentur sibi duæ civitates, una Christianorum legibus, altera Bonziorum vel optimorum institutis gubernanda: nisi hanc illa morum probitate longissime superaret, nullam se poenam deprecari. Sed ejusmodi sponcione nequiquam opus erat, cum in omnium oculos per se christiana virtus incurreret. Specimen egregium præbuit juvenis præstanti forma, quem Mandarinus liberis suis moderatorem dederat, exceperatque inter domesticos, ac familiares. Ejus pudicitiam expugnare verbis, & blanditiis tentavit diu puella ejusdem familiæ, sed frustra. Demum nescio quid muneris obtulit. Accepit castissimus juvenis; at ad herum recta detulit, rogans ut procacis ancillæ libidinem coerceret, quæ si molesta sibi esse pergeret, aiebat se alio migraturum. Immo, inquit Mandarinus, *te domi meæ libentius*

videbo posthat, & habebō in loco filii. Quidquid finxit puella, fecit auctore me. Periculum Christianæ legis fucere volui. Jam credo famæ, quæ de vobis percrebuit. Vixit istis perro moribus, quorum nihil simile inter nos est. Hoc tam illustri factō, aliisque ejusdem generis, quæ tunc passim celebrabantur, magna erat inter Sinas christiani nominis opinio, magna dignitas. Hinc tametsi Patres abstinerent publico, & occulte, ut tempori congruebat, opus evangelicum facerent, hoc ipso anno adulatorum amplius bis centum & septuaginta baptismo initiaverunt.

Sed virtutis exempla multo clariora vidit eodem anno Japonia. Et opus sane erat non vulgari virtute in tam atroci Christianorum insectatione, quæ vehementius in dies invalescebat. Longum esset omnia persequi: nonnulla tamen ad specimen indicabimus. Cianangavæ, quæ Chicungensis regni primaria civitas est, ante duos annos detinebatur in squalenti carcere Paulus Tarobiojus, vir excellenti virtute, opibus idem, & genere illustris, alumnus Patrum, & in Evangelio tradendo adjutor. Vinculorum non alia causa, nisi quod copia dicendi multum valens, exagitare Bonzios, eorumque deliramenta discutere consuevisset. Accidit ut in eandem conjicerentur custodiam, nescio quod ob crimen, juvenes duo secta Giamambusei. Hac secta nulla deterior, ut cui unum est numen Diabolus. Pauli cohortatione, & sermonibus brevi mutati sunt juvenes usque adeo, ut Christum amplecti, & acceptam in baptismo fidem gloriosa nece sancire non dubitaverint. Fuit autem genus mortis atrox, & crudele. Ruit in carcerem scelerata Giamambuscorum cohors cum cymbalis, fistris, tubis horribilem in modum personantibus. Ipsi energumenorum ritu furant, ululantque. Scires a diabolo, & furiis tartari concitatos. Juvenem utrumque invadunt: pertrahunt ambos in patentem extra urbem campum, vivos post sexcenta verbera infodiunt humo, pectore tenus: tum vero sævire faxis, donec crudeliter comminutos, canibus devorandos objecerunt. Quarto post mense illustres discipulos consecutus Paulus, famem, sitim, frigora, aliosque cruciatus pertulit, ac demum capite amputato ad coronam immortalitatis evolavit. Simili constantia mortem, & morte prope ipsa acerbiores cruciatus oppetiere Christiani plures, quorum indicem non teximus, ne justo longiores simus. In regno Bungenfi, cujus fines non latissime patent, necati pro Christo sunt paucis mensibus neophyti septem & triginta. Cum raperentur alii ad crucem, alii ad rogam, alii ad alias suppliciorum formas; ecce tibi mulier accelerare cum infante bimulo. Quærentibus, quo tam prope tenderet? *Ad necem*, clamat, *ad cælum*. Capitur, ac professa palam Christum, capite minuitur ipsa, filius parvulus jugulatur. In regnis Nagateno, & Suveno Moridonus imperitabat, veteri in Christianos odio, & recentibus Xoguni litteris ad eorum perniciem incitatus. Brevi spatio vivos combussit quatuor, duobus cervices fregit: ut nihil de aliis dicam, quos aut fortunis evertit, aut in exilium compulit, aut nudos ad ignominiam per frequentiora oppida circumduxit. In aliis Japoniæ regnis, pro indole & voluntate regulorum, durius mitiusque cum Christianis actum. In Voxuano Rex Idates Masamunes, cum esset ipse nullius religionis, nihil pensi habebat quam alii profiterentur. Christianis quidem certe molestus non erat, solum exigens ut sua sacra clam facerent, idque metu Xoguni. Quin homo vaser eorum patronus & fautor existimari cupiebat in Mexico, & in Europa, spe commercii ductus, cujus pridem causa legationem ad Philippum Hispaniarum Regem, Paulumque Pontificem miserat. Degentes itaque, defudantesque in suis finibus Patres Hieronymum de Angelis, & Didacum de Carvallio, nulla molestia afficiebat.

At Nangasachii, tametsi adhuc permitteretur oppidanis Christianæ fidei professio, contra ejus magistros, & horum hospites, multo quam alibi atrocius sæviebatur. Demandata nuper fuerat civitatis præfectura Conrocuo, homini omnium pessimo; eique Rex denunciaverat, ut si capiti suo cautum vellet, videret diligenter, ne vel unum religiosorum intra fines suæ ditionis latere sineret. Ea denunciatio stimulos addidit currenti. Conrocuus, vix inito magistratu,

To. I.

Y 2

duo-

136.
RES JAPONIÆ.
Martyrium
trium Christiano-
rum in regno
Chicungensi.

137.
In regno Bun-
genfi necantur
Christiani tri-
ginta septem.

138.
Necantur
alii sex in regnis
Nagateno, &
Suveno.

139.
In Voxuano
nulla molestia
afficiuntur, &
quare.

140.
Novus Nanga-
sachii Gubern-
ator Christiano-
nos tredecim
vivos comburit.

141.
Ejus artes ad
detegendos la-
tentes in urbe
religiosos.

142.
Capitur P. Ca-
rolus Spinula,
cum Fr. Am-
brofio Fernan-
dio.

143.
Trahitur ad
Gubernatorem,
& rationem red-
dit professionis
suz.

144.
In carcerem O-
muranum mitti-
tur.

duodecim Christi cultores flammis immitibus addixit : imo tredecim , si adnu-
meretur foetus gravidæ mulieris , utero jam septem mensibus inclusus . Hanc illis
barbarus irrogavit poenam , quod hospitium religiosis hominibus præbuisent .
Omnes deinde industria nervos eo intendit , ut PP. Matthæum de Couros , Ca-
rolum Spinulam , Franciscum Vieram , Christophorum Ferreiram , & Joannem
Baptistam Bæzam comprehenderet : non enim ignorabat latere illos interdum ,
noctu vero prodire suis e latebris , & urbem concurrere ad confirmandos in
fide neophytos . Eo consilio ad viarum omnium capita disponit excubias , suis-
que satellitibus negotium dat , ut ad ostia domorum adrepant noctu , & quis ,
unde , cur efferat pedem , cognoscant . Solus in manus exploratorum incidit
P. Carolus Spinula , cum socio Fratre Ambrosio Fernandio . Delitescibat Spi-
nula in angusta Georgii cujusdam Lusitani domo . Lictores , sive casu , sive
dato indicio , faciunt in illam impetum Idibus Decembris , hora una ante me-
diam noctem ; effractisque ex improvise foribus , in exiguo conclavi Fernan-
dium opprimunt . Excitatus insano licitorum strepitu Carolus , qui brevem
in interiore cubiculo capiebat somnum , surgit , & in genua procidens , divina
se totum voluntati victimam voluntariam offert . Exhibant lati præda satellites ,
neminem præterea latere in iis ædibus rati , & cum Fernandio Georgium quem
dixi hospitem abducebant : cum unus ex ultimo agmine circumspiciens , ut sit ,
& obvia quæque pertentans , cubiculum aperit , in quo preces Carolus funde-
bat . Tollit clamorem . Accurrunt alii , injectaque reſte multiplici , alacrem , ac
superis ingentes agentem gratias vinciunt . Vincula tam arte adduxerunt , ut
in ejus manibus pedibusque livida funium notæ diu hæserint . Inde ad Gubern-
natorem vinculis onustus ducitur . Jussus nomen , patriam , vitæ institutum re-
nunciare , Sacerdotem Societatis se esse profiteretur , quod ut ipso amiētū testa-
retur , afferendas sibi vestes Societatis curaverat . Querit Conrocius , quo pa-
cto , cur , ubi remanserit in Japonia ? Respondet Carolus , nihil esse negotii
latere in tam frequenti populo . Ubi tamen latuerim dicere , meum non est ,
nec fas , inquit , ne carissimis hospitibus exitio sim . Cur latuerim , ignorare
non potes . Eadem mihi & veniendi in Japoniam , & in ea latendi causa fuit ,
æterna Japonum salus , de qua me differentem ipsemet audivisti non semel
ante irrogatum nobis exilium . Non salutem Japonibus , subjecit Gubernator ,
sed iis qui vos receptant certissimam affertis perniciem . Nos vero , retulit Spi-
nula , enitmur quantum fieri potest , ut nemini quidpiam periculi damnive
afferamus . Invitati ad eos accedimus , qui opera uti nostra volunt . Siquid in-
terim exitii corporibus affertur , aut ipsorum , aut nostris , facilis hæc jactura ,
& levis est . At enim , instat Conrocius , non nescis Imperatorem omnino prohibe-
re , ne in imperio suo consistatis : cur morem gerere detrectas ? Cui Caro-
lus : Quæso , quid ageres , si tibi regulus quispiam , quales in Japonia plurimi
sunt , nonnihil mandati daret ; contra vero Xogonus summus Imperator aliud
præciperet ? Utri morem gereres ? Simillima est causæ nostræ ratio . Huc misit
nos cœli terræque Dominus , & Evangelii sui inter Japones promulgandi pro-
vinciam nobis dedit . Vetat Japoniæ Rex , summo illi Regi nec dignitate ,
nec potentia comparandus . Utri parere nos æquius est ? Multa in hanc senten-
tiam elocutus , ipsum Gubernatorem ad cognoscendam Dei legem , & ample-
ctendam cohortari non dubitavit . Adeo corporis vincula nihil in eo libertatem
spiritus imminuerant . Interim adducuntur alii duo ex ordine Prædicatorum re-
ligiosi , quos pariter Conrocui satellites vinxerant . Cum eadem illi per inter-
pretem respondissent quæ P. Spinula , edixit judex , ut simul omnes Omuram
deportarentur , ibique in vinculis attinerentur . Mari deſecti sunt Omuram , de-
ducentibus usque ad navim summa frequentia Christianis Nangasachiensibus ,
multumque complorantibus . Eos Spinula , quippe unus japonice sciens , apta ora-
tione consolari studuit . Suzuta appellabatur locus religiosorum carceri destina-
tus . Eum locum viri fortes ut conspexere propius , unum de sacris carminibus
præcinerunt : utque in eodem ergastulo custodiebantur ab uno anno alii duo

religiosi, alter e S. Dominici, alter e S. Francisci familia; ab his cantus excipitur intenta ac læta voce: quibus vicissim cum responderent illi qui subibant, carmen totum alternatim suaviterque canendo peractum est, donec alteri alteris in conspectum sunt dati, & facta colloquendi copia. Quis hic gratulationes mutuas, quis erumpentes præ gaudio lacrymas, quis amplexus explicet? Diceret, non barbarorum carcerem istum esse, sed vestibulum patriæ cœlestis: tot certatum hinc inde est benevolentiae, & charitatis officii. Quatuor annos in Omurenſi custodia egit P. Spinula, quibus in continua veluti morte transactis, ad extremum combustus est. Citius e corporis, carcerisque vinculis excessit Fr. Ambrosius Fernandez. Sed de utroque sermo redibit suis locis.

Conrocuus interim his nequaquam contentus victis, nihilque dubitans alios latere in sua civitate Sacerdotes, investigandi sollicitudinem intendebat. Præ omnibus insidiabatur Patri Matthæo de Couros, quem a proditoribus acceperat nostrorum omnium præpositum, & Episcopatus Japonici administratorem esse. Namque ita post obitum Episcopi Ludovici Cerqueira constitutum fuerat diplomate Pauli V. Pontificis, ut donec illi datus esset successor, quicumque foret in Japonia Provincialis Societatis, idem Episcopi obiret vices. Illum itaque unum totis cubilibus venabatur; ut mirum sit occultari tandiu potuisse hominem Europæum, plerisque de facie notum, a multis passim adiri solitum, cum præsertim magna esset proposita merces, si quis eum detegeret, magna item poena, si quis occultari uspiam sineret. Effugit feliciter Courus tot perquisitorum manus atque oculos, abditus in intimum cavum, seu verius sepulchrum tugurii Japonici, ex quo per dies quinquaginta pedem nusquam extulit, adeo ut in mortuorum numero censeretur. Hæc illum fama servavit. Perquiri enim desiit ut vere mortuus, secessitque interea in Arimæ terras, unde nostrorum gerere curam per litteras, & Christianos itidem epistolis moderari non cessavit, donec post annos quatuordecim optatum laborum finem ac præmium, ut alibi referemus, invenit. Non ille tamen solus, Deo protegente, servatus ab immanissimi Gubernatoris insidiis. Qua nocte deprehensi fuerunt P. Spinula, & Frater Ambrosius Fernandez, latebat in vicina casa P. Franciscus Viera viſitator. Ad clamorem satellitum, continuo in publicum exiit cum socio P. Christophoro Ferreira, minus de sua vita sollicitus, quam de capite suavissimorum hospitem, quibus erat pereundum, si apud eos captus foret. Elapsus per tenebras, & viarum nota divortia, conjicit se prima luce in scapham, & maritimam oram legit. Hiems erat asperrima, horrebat procellis mare. Non ausus tamen in littus exscendere, vim omnem & acerbiteriam durissimæ tempestatis in aperta cymbula diebus quadraginta pertulit: quibus incommodis fractus cum appulisset Macaum, ibi diem obiit extremum. Conrocuus, hunc aliosque sibi ereptos dolens, furit, & novas artes excogitat. Primo singulis familiarum patribus edicto denunciatur, si quis vel Religiosum ullum, vel Dogicum (ita Catechistas nominabant) hospitio recepisset, illum cum liberis & conjugibus igne periturum. Principes deinde civitatis sacramento adigit, ne quem eorum occultari uspiam sinant: & ne inscientiam excusare aliquando, aut oblivionem possint, jubet singulos in id obligare suam fidem chirographo, quod ipsorum ædibus publice affixum semper observaretur oculis, & a subeuntibus legeretur. Neque id satis. Ut præmiis alliceret quos terrore vincendos non sperabat, crumenam appendit in publico urbis foro cum denariis mille & quadringentis, addito ad latus scripto, quo indicabatur, tradentibus aliquem ex Christianæ religionis ministris id præmium fore. At cum esset necessario custodiendum, ne clam surriperetur, argentum ita propositum, ejusque custodiendi curam Prætor Christianis injunxisset; nemo inventus, qui non provinciam illam reiceret ut indignam: profitentibus diserte cunctis, mori se citius malle, quam id præstare, unde divinæ legis ministris infortunium evenire posset. Ob eam rem capti sunt Christianorum nonnulli, quos cum sa-

145.
Lætitie signa in
aditu carceris,
aliis occurrenti-
bus religiosis.

146.
Gubernatoris
cura in investi-
gando P. Mat-
thæo de Cou-
ros.

147.
Latet per dies
quinquaginta,
ac demum au-
fugit.

148.
P. Franciscus
Viera se recipit
Macaum, ibi-
que moritur.

149.
Gubernatoris
nova edicta, ne
occultentur Re-
ligiosi.

150.
Delatoribus
præmium pro-
ponit, sed fru-
stra.

tellites dirimi in modum protererent, nulla est eorum audita vox, nisi bene secum agi, quod talia pro Christo paterentur.

151.
RES PHILIPPINARUM.
Patres Manilani repullulantem superstitionem extirpant.

Ex ultima Asia prius quam in Americam transmittamus, leviter attingendæ sunt nobis Insulæ Philippinæ, in iisque nonnihil immorandum. Materiam laboris insolitam dedit Patribus Manilanis allatum hoc anno diploma Pauli Pontificis, cum amplissima delictorum venia iis concessa, qui rite sacra percepissent. Egressi per hanc occasionem ad circumpositam late regionem Patres, nefarium hominem detexere, qui fraudulentis artibus Neophytos ad superstitionem pristinam retrahebat. Nam cum frequentes ibi sint apri, & ex proximis delapsi montibus depasci fruges in agro pubescentes soleant, ad eam pestem arcendam impius circulator populares monebat, ut lunam veteri ritu colerent, idque jam multis, quippe rudibus, & a superstitione recentibus persuaserat. At ii nunc, cum viderent suas ut ante segetes ab infestis belluis perire, se insigniter elusos arbitrati, vanum præstigiatorum detulerunt ad Patres, quorum effectum industria, ut malum non ultra glisceret. His laboribus feliciter immortalis est Manilæ P. Franciscus Calderonius, operarius impiger, natione Castellanus, qui post excultum per annos ferme triginta agrum Japonicum actus in exilium, ante annos quatuor venerat in Philippinas. Eum ferunt in pellicendis ad fidem ethnicis vix parem habuisse; quod tamen non magis voce & industria, quam exemplo vitæ præstabat: cunctis sibi facile persuadentibus sanctam esse religionem, quæ tantæ sanctitatis præconem & ministrum haberet. In Philippinis cum esset sociorum omnium præses, quippe provinciæ Visitator, sæpe ut novitius moderatores ordinis inferioris adibat, ab iisque leviora quadam sibi permitti rogabat, obediendi studio. Nihil illo pauperius: nihil eidem paupertate dulcius. Præter pios aliquot libellos, & paucas Divorum reliquias, nihil habebat apud se; atque has etiam reculas deferebat identidem ad Rectorem, easdemque recipere ex ejus manu, ut sibi commodatas, gaudebat. Plures quotidie horas coelestium meditationi dabat, nec fere surgebat a precibus, nisi fletu madidus, & sacrum spirans ardorem, quem deinde etiam in alios diffundebat. In morbo extremo palam professus est, nunquam sibi venisse in mentem opinari, tam dulce esse mori. Præ cunctis cœlitibus religione præcipua colere consueverat S. Barbaram. Eandem, quod visum multis notabile, paulo ante obitum sortitus est mensis Patronam, & ejus die anniversaria placide expiravit, pridie Nonas Decembres, cum annum decurreret vitæ septuagesimum primum.

152.
Mors & Elogium P. Francisci Calderonii.

153.
Procacis feminae libido subdito terrore compescitur.

Cæterum in Insulis Philippinis, etsi optime constabilita religio videretur, non deerant, ut in reliquis terræ plagis, nocentes tribuli, lappaque lætis frugibus intermixta. Exstiterunt hoc anno exempla in utramque partem memorabilia. Juvenis fuit circa Manilam pudicitia insigni, qui mulierculæ ad illicita prolectantis blanditias artesque omnes sæpe repulerat. Is novissime repertus ab ea solus in agro, cum non possit aliter procacem a se remove, diffugiebat in vicinam silvam. Illa libidinis cœtro percita fugientem insequi. Prodiit repente ex interiore saltu coluber maculosus, & visu horribilis, cujus aspectu femina in fugam acta est. At Manilæ vir locuples, & infamia vitæ quam opibus notior, triste reliquit documentum, quam luctuosi plerumque sint eorum exitus, qui poenitentiam criminum ad extremum usque vitæ contumaciter extrahunt. Perdiu scelestus flagitiose vixerat cum mulierculâ, cujus erat amore irretitus. Admonitus a nostris sæpe, monitores semper contempserat. Nuper cum navigaret in regia classe, naufragio facto, dum natat unica suffultus tabula, voverat facturum peccandi finem, si in littus evaderet. Evasit, & nihilominus post paulo, contempta voti religione, ad priorem vitæ consuetudinem relapsus est. Gravi demum corripitur morbo, atque, ut usu venit, abusus Dei misericordia dum viveret, eam moriens omnino desperabat. Nam quid spei esse reliquum aiebat sibi, qui Deum læisset tamdiu, tam atrociter, ac

154.
Triste exemplum hominis flagitiosi, & contumacis.

novissime datam illi fidem tam foede violasset? Vocatur noster Sacerdos, qui se misere desperantem erigat ad spem salutis. Ejus voce erectus recreatusque est usque adeo, ut piacularem confessionem non sine lacrymis peregerit, videreturque ad mortem obeundam optime comparatus. At purgato tot pestibus animo, corpore etiam habere melius coepit. Convalescebat sensim in dies. Adventabant amici jam, ut recuperatam valetudinem gratularentur. In hoc statu rerum, quod vix credibile videatur, rediit ad ingenium improbus, ac velut omni solutus metu, amicam faceffere pridem jussam ad se reduxit. Mirari omnes impudentiam, & temeritatem hominis: quidam exemplo offendi; non tamen diu. Recrudescit ex improvise morbus nondum plane depulsus: ager ad extrema deducitur. Dum domestici trepidant, dum quaritur Sacerdos, ille in conspectu pellicis horrendum mugiens, foedam animam, & jamdiu orco oppigneratam efflavit.

Longe ab simile exemplum vidit eodem anno Vallisoletum, quæ urbs est in provincia Mexicana frequens, & nobilis. Adiit Societatis nostræ Sacerdotem vir moribus perditissimis, ut confessionem totius antea vitæ perageret: auditus autem, expiatusque, eadem die, suis rebus omnibus in pauperes ergatis, in religiosum severioris disciplinæ ordinem se recepit. Prius tamen percunctanti Sacerdoti de causâ tantæ, ac tam subitæ conversionis, hæc narrabat. Noctu dum placide dormiret, excusso repente somno, duos vidisse adstantes horrenda forma carnifices, eosque audivisse hortantes sese ad mactandum, rapiendumque jam pridem debitum sibi caput: at cum maxime illi aduncas sibi manus intentarent, fuisse repulsos opportune brachio hominis amicissimi, sed occulti; simulque auditam vocem jubentis eos faceffere, qua audita voce, re ipsa dilapsi essent. Cujus fuerit illud brachium, ignorare se: notatum tamen sibi esse pannum quo tegebatur, eundemque visum sibi esse, quem ante paucos die largitus pauperi fuisset. Inde se intellexisse, quam experiretur tam suo tempore præsentem opem, mercedem esse misericordiæ egeno impenfæ, atque ex eo puncto statuisse sua omnia pauperibus, se totum Deo tradere. Hæc ille memorabat: quæ nos uti tradita sunt ab idoneis auctoribus, ita consignamus historiæ, magis solliciti ut aliquibus legentium profint, quam ut credantur ab omnibus. Cæterum intra provinciæ Mexicane fines nonnulla nobis adversa contigerunt. Principio Archiepiscopus Mexicanus iram ingentem concepit adversus Societatem, propterea quod nostro concionatori verba nescio quæ excidissent, quibus se tacite perstrictum putabat. Nihil non est motum, ut irato Prasuli satisfaceret. Officia, preces, deprecatores adhibiti, sed nullo successu. Demum cum Societatis patrocinium suscepisset Prorex, factionemque duceret contra Antistitem; post multa hinc inde vi magis quam jure suscepta, ad tollendum ferale dissidium quo tota civitas scindebatur, amotus est Mexico concionator, lisque omnis ex æquo & bono composita. Utinam restingui tam facile potuisset incendium, quo aedes nostræ conflagraverunt in colonia Vera Crucis. Nonis Decembribus, circa dimidium noctis, hibernacula militum corripuit, nescio quo casu, flamma tam repens ac violenta, ut intra spatium unius horæ magnam urbis partem absumperit. Domicilii nostri, templi, supellectilis, atque omnis domestici instrumenti, nihil superfuit. Lugenda in primis jactura bibliothecæ, quam ibi Patres habere coeperant pro loco copiosam. Tecto carentes interea Socios benigne recepit apud se unus colonorum, habuitque domi suæ hospitaliter, & amice, donec adificium, subveniente civium liberalitate, restructum est.

His cladibus accesserunt præstantium Sociorum funera, lugenda sane, ac memoranda. Duo præ cæteris desiderati Patres, Joannes Ferrius, & Petrus Diaz. Prior gente Italus, patriam habuerat Montemfalcum, oppidum Picenorum. In Americam ante annos quadraginta navigaverat, idque patientia, charitate, & rerum usu diuturno fuerat consecutus, ut passim ab indigenis magnus Pater appellaretur. Excellebat linguarum omnium peritia, quæ in novo illo orbe penes diversas nationes diversa sunt, & multum inter se dissimiles. Magni sic-

155.
RES MEXICANA.
N. A.
Hominis scelesti
conversio memo-
rabilis.

156.
Archiepiscopus
Mexicanus iras-
citur, & recon-
ciliatur Societa-
ti.

157.
In colonia vera
Crucis domici-
lium Societatis
incendio absum-
mitur.

158.
Obitus & elo-
gium P. Joannis
Ferri.

159.
Et Patris Petri
Diaz.

siebant ad eum concursus : multa ad eundem per dies singulos negotia deferebantur, ut vix partem necessariæ quietis capere interdum posset. Chichimecas, nationem indolis ferocissimæ, primus adiit, ejusque partem maximam solus ad Christum adduxit. Obiit xi. Cal. Septembris, anno ætatis sexagesimo quarto. Die anni ultima decessit P. Diaz, Lupianæ natus in regno Toletano. Hunc provincia Mexicana inte primos conditores & parentes suos numerabat : venerat enim in Americam missu S. Francisci Borgiæ, ante annos quadraginta sex. Rector collegii Mexicani primum, tum domus Professorum, postremo totius provinciæ, nunquam destitit navare proximorum salutem operam, nunquam inter tot regiminis curas consueta Societatis ministeria intermisit. Plurimum in dicendo poterat, non tam ex artificio, (quamvis hac etiam facultate præstaret) quam ex abundantia pietatis. Quæ ad concionem afferebat, precibus potius parare putabatur, quam studio. Erat septuagenario major cum vivere deliit, ad ejusque funus tota fere civitas affluxit.

160.
Quinam populi
sint Hiaquii.
Bellum illis in-
ferunt Hispani.

Inter hæc damna solatio fuit, quod suscepta ad Hiaquios expeditio felicem eventum habuit. Oram fluvii cognominis accolunt Hiaquii in Cinaloa, & ab ostio annis, qui in pelagus Californiae influit, sursum recurrendo, spatium occupant ad millia passuum ferme quadraginta. Triginta millia capitum tota natio censebatur. Indoles hominum ferox, ceterisque ejus tractus longe pugnacior, propinquis infesta, adversus Hispanos semper contumax. Præter communia regionis vitia, vigeant apud eos magicæ artes in tantum, ut veneficorum plena omnia invenirentur. Hoc senticetum ut subigerent nostri, occasionem arripuerunt quam subijcio. Ante annos circiter tres transfugerant ad Hiaquios neophyti quidam Cinaloenses, & Christianæ professionis sacramentum abjecerant. Perfugas reposcebat Hispanorum Præfectus Didacus de Hurdaire, vir toto Mexico, cum bellica virtute, tum religionis studio illustris. Eos Hiaquii cum negarent reddi posse, & jus asyli obtenderent, Didacus, ne perpetuo pateret desertoribus impiis tale perfugium, bello repetendos statuit. Magna itaque armatorum manu comparata, eorum fines ingreditur. At primo incursum ferociter exceptus, dare terga cogitur. Cæduntur in acie multi regionum, plerique dissipantur, ac fugæ se mandant. Sensit Urdaire, rem sibi esse cum gente ceteris, cum quibus ad illam diem arma contulerat, multo bellicosiore. Quare majores undique colligit copias, & virtutem exstimulante acceptæ cladis memoria, denuo contra barbaros movet exercitum. Ejus cognito adventu, adeo non sunt conterriti hostes, ut imo processerint obviam confertissimo agmine, & impressionem fortiter sustinuerint. Pugnatum est hinc inde magno animo, atque virtute. At deterior Hispanorum conditio erat, cum ob alias res, tum maxime ob cibariorum penuriam. Hiaquii contra, præterquam quod numero prævalebant, & firmiter natura locis infederant, commeatu abundabant. His cognitis rebus Urdaire, nocte intempesta converti signa jubet, atque iterum in provinciam suam se recipit, redintegraturus anno proximo bellum majore apparatu, & meliore, ut sperabat, fortuna. Non latuit barbaros de apparatu, qui fieri statim coepit novis delectibus, & accersitis undique militum veteranorum auxiliis. Subiit metus, ne si extremam vim expectarent, tota igni ac ferro vastaretur regio, ipsi occisione delerentur. Hinc ad pacis consilia proniores fieri, & deditionem suadentibus aures præbere : tantum ne iniquæ imponerentur conditiones, postulare. Æquissimæ fuerunt propositæ, atque inter alias illa, ut Christianæ religionis ministris locum apud se, & liberam docendi facultatem darent. Quibus assensu unanimi comprobatis, in fidem & clientelam Hispani Regis se contulerunt Hiaquii; ad eosque nostrorum duo profecti sunt. Fuerunt hi P. Andreas Perez, & P. Thomas Basilius, viri ambo impigri, & spectatæ virtutis, qui tametsi periculosum videretur gentem tandiu infestam sine militari præsidio adire, adierunt tamen impavidi, quatuor tantum adductis neophytis, quibus cognita itinera. Venientibus obviam prodire ad Mayorum usque fines Caziqii duo, qui pangendo foederi interfuerant.

161.
Hispani semel
atque iterum re-
pelluntur.

162.
Sponte dedi-
tionem faciunt
Hiaquii, & nos-
tros operarios
accipiunt.

163.
Ut excepti sint
PP. Andreas Pe-
rez, & Thomas
Basilius.

Si-

Simul ad eos excipiendos, deducendosque in interiora regionis ingens effusa est multitudo omnis ætatis & sexus. Omen rei bene gerendæ lætissimum, fuit, quod singuli parvam præferrent crucem ex calamo, quo signo nec ipsi carebant infantuli, qui in sinu matrum gestabantur. Ea specie commoti Patres, ægre a lacrymis temperaverunt, & magnum animum sumpserunt. Perez ad multitudinem conversus, & de causâ adventus sui verba facere exorsus, miro omnium assensu auditur. Hoc præstrueto Evangelicæ missionis initio, paulatim Hiacui, qui fuerant hæctenus feris bestiis quam hominibus similiores, in alios mores, & alium pene dixerim naturæ habitum tranfierunt, Edocti civilis vitæ rationem & commoda, in octo oppida sunt distributi: oppidis sui impositi magistratus, qui rem communem administrarent. Secundum hæc instituti apte, Christi legem susceperunt, & vero Numini templa ex lapidibus struxerunt. Anno uno tantum profecit P. Perez, ut cum successorem in ministerio acciperet P. Christophorum Villaltam, octo millia baptizatorum illi tradiderit. Non tamen putandum nihil egisse inferos spiritus, ut tantam imperii sui cladem averterent. Efferati venefici, quod suas jacere artes, & perire sibi quæstum viderent, sæpe de macandis Patribus consilia agitarunt; sed molitiones impias Deus mirabili providentia discussit. Semel P. Basilius sagitta, incertum unde missa, confosus est, utique moriturus ob venenum spiculo illitum, nisi pius neophytus, exsucto cruore vulneris, solitam huic pesti curationem fecisset. Comperit postea, maleficii auctorem fuisse neophytum improbum, qui ultro confessus est, se de Basiliæ nece deliberasse propter amicam, quam Sacerdos importunus sibi eripuisse, & ad frugem traduxisset.

164.
Patrum apud
eam gentem la-
bores, & fru-
ctus.

165.
Eorundem pe-
ricula a venefi-
cis.

